



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XXVI. De Præscriptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

um merè personale personam ejus, cui concessum est, egrediatur, contra Regulam l. 1. §. 2. ff. de Constit. Princip. quæ inter exceptiones reales ac personales distinctio prodita est §. fin. cit. & l. Exceptiones 7. pr. & §. 1. ff. hic, Zanger p. 3. de Except. cap. 26. n. 216. Zælius in ff. hic n. 20. Perez in C. hic n. 23. & 24. Bruneman. in l. Defensiones cit. à n. 1. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. Traët. 3. n. 334.

Neque personales exceptiones, si fidejussoribus non accommodentur, reo sive debitori principali, vg. patri, marito, donatori inutiles evadent; quòd pecuniam pro ipsis solutam repetere queant fidejussores: aut, si nequeant, in damno ipsi versentur; quia fidejussores super rei, sive debitoris principalis, personali exce-

ptione muniti, debitò conventi petere possunt; ut iudicium transferatur in principalem; vel huic denuntiari; ut veniens ex propria persona susceptò iudicio exceptionem opponat, & fidejussorem non condemnari, suà interesse ostendat. J. Idem. que 10. §. 12. ff. Mandati. Quod si fiat, neque fidejussores in damno versantur, neque reo sive debitori principali iure competens exceptio inutilis evadit, cit. Zælius n. 23. & Perez n. 25. Unde reatus, exceptiones personales fidejussoribus accommodari negantes, ita exaudiendi sunt; ut illis hi ex propria sua persona uti non possint: non; ut ipsi etiam non profint, quando à principalibus, translatò in se iudiciò, opponuntur, cit. Zælius n. 23. & Perez n. 25.



TITVLVS XXVI.

De Præscriptionibus.

Premptoria Exceptionis species est Præscriptio, quæ bonæ fidei possessor pristinum Dominum, rem quasi suam repetentem, repellit, ei opponendò possessionem, tempore & modò Legibus definitò, continuatam.

ARTICVLVS I.

De Præscriptionis Natura & Honestate.

SUMMARIUM.

1. Definitio Præscriptionis:
2. Qua confundi solet cum Usucapione:
3. Propriè tamen accepta ab ista differt.

4. Est modus dominij acquirendi,
5. Etiam in foro Conscientiæ.
6. Eà dominium auctoritate publicè transferatur;
7. Ut certa sint rerum dominia,
8. Diminuantur lites,
9. Et res suas conservandi industria accuat.
10. Stricta tamen est interpretatio.
11. Rem præscriptam pristino domino scienter reddens eam revocari nequit.
12. Potest, qui, eam præscriptam, falli,
13. Aut Juris, errore ignorare.
14. Præscriptionis renuntiare posse, ut gantur,
15. Et affirmantium verior Opinio. Et c.

1. **E**st enim Præscriptio, ut à sacrorum Canonum Interpretibus accipitur, & Usucapionem includit, Adjectio sive acquisitio domini vel quasi, aut alieni juris peremptio sive extinctio, per continuationem possessionis, tempore & modò Legibus aut sacris Canonibus definitò. Ita à Modestino *l. Usucapio 3. ff. de Usucap. & Usurp.* traditam Usucapionis definitionem cum RR. DD. intelligunt, & Præscriptioni accomodant Palao *Tract. 31. disp. Unic. p. 22. s. 1. n. 3.* Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 157.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 2. & 3.*
2. Quantumvis autem Præscriptio cum Usucapione passim confundatur, ab ista tamen re ipsa variè, & secundum laudatos DD. hodie, sicut genus à specie, præcipuè differre censetur; quòd, cum ista sive Usucapio res duntaxat corporales; Præscriptio præter has etiam incorporales afficiat, omnis quidem usucapio etiam Præscriptio: non omnis autem, sed ea solum præscriptio, quæ rerum corporaliū est, usucapio dici possit; quia ista, ut ipsum nominis etymon demonstrat, sine possessione, quæ propriè rerum corporaliū est, non procedit, *l. Servus 43. §. 1. ff. de Acquir. rerum domin.* secundum magis propriam autem & primariam nominum significationem distinguuntur, sicut causa ab effectu; cum usucapio ipsa domini per possessionis legitimam continuationem acquisitio sit, *l. Usucapio cit.* præscriptio verò sit exceptio, quæ prior dominus ab eo, qui usucapit, à limine iudicii remouetur, in usucapione sive domini acquisitione fundata, *l. Emptor 9. §. 1. fin. ibi, Et decennij præscriptione agentem excludi, C. de Præscript. longi temp. Arnold. Rath. Tract. de Usucap. cap. 1. n. 3. cit.* Haunold. *à n. 155.* & Pirrhing *n. 2.* Unde

Patet, Præscriptionem esse modum domini vel quasi, aut juris, tam realis quàm personalis, independenter à voluntate seu consensu alterius acquirendi vel perimendi, legibus Civilibus introductum, & sanctionibus Ecclesiasticis, quatenus peccatum non foveret, approbatum. Ubi

Dubium & magni in praxi usūs ac momenti controversia est, an Præscriptioni in foro etiam conscientia interno sit locus. Quod apud Glossam *in c. Vigilanti 5. V. Noverit* & Covarruviam *in Reg. Possessor, p. 2. §. 2. n. 1.* aliqui DD. negant, eamque in foro solum externo vim habere volunt, eâ persuasi ratione; quòd, rem suo domino reddendam, dicitur Jus Naturale: idèmq; Jus, aliquem cum alterius detrimento & injuria locupletari, non permittat, *l. Jus Naturale 206. ff. & c. Locupletari 48. de R. J. in 6.* Juri autem Naturali lege Positivâ nequeat derogari, §. *Sed Naturalia 11. Instit. de J. N. C. & C.*

Sed, sicut communis, sic vera quoque sententia est, Præscriptionem etiam in interno foro procedere; ac proinde rem v.g. prædium, post ejus præscriptionem legitimè perfectam, salvâ conscientia retineri posse: eamque pristino domino repetenti restituendi obligationem non dari; ita enim cum Glossa *cit.* & Panormit. *in c. Vigilanti cit. n. 6.* sentit Sylvester, *V. Præscriptio 1. q. 13.* Balbus *de Præscript. p. 2. princip. p. 3. q. 9. à n. 1.* Covarruvias *cit. n. 1.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 61. à n. 6.* Lessius *Lib. 2. de Justit. cap. 6. à n. 50.* & melioris nominis ac notæ T. T. & J. C. T. plerique. Ratio, quæ nituntur, unica, sed solida est; quòd Princeps & alius supremus Magistratus, præter jus jurisdictionis in subditos, habeat etiam dominium altum in eorum bona: vi cuius domini de his, præsertim per legem, omnes

omnes æqualiter adstringentem, dispo-
nere potest, prout commune bonum &
totius Reipublicæ felicitas exigit, & sine
aliorum non subditorum injuriâ fieri po-
test; quia Respublica, eò ipsò, quòd ali-
quem Principem, aut ejusmodi Magistrat-
um constituit, potestatem ipsi tribuit
condendi leges, quas ad bonum & utili-
tatem Reipublicæ istiusque civium con-
ducere existimârit. Cum ergò Princeps
& alii Magistratus supremi, poscente vel
suadente Reipublicæ istiusque civium ne-
cessitate utilitatèque, statuerint; ut res
certò tempore modòque possessæ præ-
scriberentur, earumque dominium tran-
siret ad possidentem, hic rem eò tempore
modòque possessam ac præscriptam, salvâ
conscientiâ, poterit retinere. Confirma-
tur; quia, qui in foro externo justæ & re-
ceptæ legis beneficio tutus est, ne resti-
tuat, neque in interno obligatus est ad
restituendum: quod generalis Regulæ
instar tradit Laiman. *Lib. 1. tract. 4. cap.
17. n. 3.* Cum ergò *l. Præscriptionum Ci-
viles justæ sint: & à sacris Canonibus, qui
conscientiis hominum ex fine suo consu-
lunt, præscriptio solùm rejiciatur, quando
malâ fide nititur, & peccatum fovet, c.
Vigilanti cit. c. fm. hic & Reg. Possessor 2.
in 6.* in Foro etiam interno non dabitur
obligatio restituendi rem legitimè præ-
scriptam.

Neque istius retentioni adversatur
ratio contra eam allata, cum; quia eò ipsò,
quòd per viam præscriptionis & autho-
ritate legis rei dominium translatum sit
in præscribentem, prioris domini & alie-
næ; ac proinde, restitutioni obnoxia, de-
fuit esse: tum verò; quia Jus Naturale
solùm prohibet locupletationem cum al-
terius jactura injusta: cujusmodi non est,
quæ fit ex dispositione legis, latæ intuitu
boni publici; si enim justè possidet, qui
Prætorum auctore possidet, *l. Justè 1. ff. de*

Acquir. possess. utique injustè non possi-
debit, qui rei possessæ dominium nactus
est auctoritate legis, rei dominium tribu-
entis per Uluçapionem, *Connarus Lib. 3.
cap. 13. n. 9.*

Causæ autem, quæ Præscriptionis,
tanquam utilissimi, & ad Reipublicæ illi-
usque civium felicitatem conservandam
stabilendamque propemodum necessariæ
præsidii, introductionem legum Condi-
toribus perlatæ sunt, justissimæ & Reipub-
licæ Naturali valde consentaneæ fuerunt,
Imprimis & præcipue; ne rerum domi-
nia essent incerta, *l. 1. ff. de Uluçap. cum;*
si rei alienæ possessor ejus dominium nun-
quam acquireret, non rarò contingeret,
ut, qui v. g. prædium diutissimè & bonâ
fide tanquam suum possedit, id tandem
restituere cogere alteri, qui id esse
suum, verè aut apparenter duntaxat præ-
baret: quod utique grave esset possesso-
ribus; cum nunquam certi de bonis suis
merito metuerent; ne illorum, si perpe-
tuæ evictionis periculo obnoxia essent,
possessione ab alio deicerentur, *l. Cum no-
tissimi 7. pr. C. de Præscript. 30. vel 40.
annor.* Deinde, ut conluleretur quieti
Reipublicæ & finis esset litium, *l. fm. ff.
Pro socio;* hæ enim multò frequentiores
& sæpe immortales atque inextricabiles
forent, si post diutinam rerum possessio-
nem eas repetere à modernis possessoribus
liceret. Et demum; ut acueretur indolenti-
æ hominum, in rebus ac iuribus suis conser-
vandis ac defendendis; dum negligentium
desidia ademptione domini punitur, *c.
Vigilanti cit. & l. Ut perfectum 2. C. de
Annali except.*

Neque his rationibus suffultas leges
iniustitiæ damnavit aut redarguit Impi-
um Præscriptionem *Impium præscriptum
& improbam temporis allegationem,* ap-
pellavit, eaque tu um peccandi locum
præberi, asseruit *Novell. 9. V. Cum enim
antiquas*

antiqua; quia, ut nihil dicam, quod huic Justinianæ constitutioni tanquam suppositivæ, cum in Græco contextu non invenitur, legis auctoritatem aliqui cum Cuiacio *Tract. de Præscript. cap. 21.* negent, eâ prælidium & allegatio improba impiæque vocatur respectu temporis, ei vim conterentis, etiamsi malâ fide niteatur: uti &, respectu possessorum rerum alienarum, præsertim Ecclesiasticarum & fidelium pietate ad divinum cultum oblatum, detentionem injustè & cum peccato continuantium, donec improbâ temporis allegatione adversus earum dominos defenderentur, Alciatus *b. t. n. 9.* Pinell. *in Auth. Nisi triennalis, C. de Bonis matern. n. 39.*

10. Non magis urget; quod præscriptio aliquid iniquitatis habere videatur Baldo *in l. 1. §. 3. ff. de Postulando*; & propterea, tanquam odiosa, strictissimi sit Juris, *arg. Reg. Odiâ 15. in 6.* quia, licet revera iustissima & suadente ratione Naturali introducta sit, iniquitatis tamen speciem aliquam, licet iniqua non sit, primò intuitu referre videtur; quod rei dominium uni ablatum transferat in alium; itaque unius jus diminuat & alterum locupletet; quæ etiam causa est, cur strictæ sit interpretationis.

11. Dubium secundò est, an, qui rem tempore modòque legibus definitò possessam, itaque præscriptam; pristino domino repenti restituit, eam valeat revocare. Certum est, non posse, si ejus dominium usucapione in se translatum scivit, & nulla vi dolòve ad restitutionem inductus fuit; quòd ita restituens rem donasse, aut præscriptionis juri cessisse videatur.

12. Ejusmodi rem revocati etiam non posse, si eam restituit deceptus ignorantia Juris, rei ita possessæ dominium transferentis, tuadet ratio; quòd Juris igno-

rancia nemini pãtrocinetur, *Reg. Ignorantia 13. in 6.* &, sicut ceteræ, sic etiam præscriptionis exceptio ita demum proficit, si ab eo, cui competit, objiciatur.

Verùm, quia ex una; etiam Juris ignorantia, licet non proficit volentibus acquirere, suum tamen petentibus non nocet, *l. Juris 7. ff. de J. & F. 3.* & ejus, quod omni Jure fuit indebitum, quocunque tam Juris quàm facti errore solutum, datumve est, repetitionem Naturalis ratio permittit, *l. Qui exceptionem 40. pr. ff. de Condit. indeb.* ex altera verò parte, rem ita restitutam revocans, hòc ipsò; quòd ejus dominium per usucapionem plenè quæsitum sit, *l. Quis fundum 7. §. fin. ff. Pro emptore*, de rei jam acquisitæ damno agit; cum petat, quod alteri, tanquam suum repenti, per errorem restituit, postquam omne ejus jus & actio, quæ eam repetere aliquando potuisset, jam omnino sunt extincta, *c. Ad aures 4. ibi, Præscriptio omnem prorsus actionem excludit, de Præscript. §. l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* quæ Præscriptio possessorem plenissimâ munitione dicitur reddere securum: quia, inquam, res ita se habet, res postquam præscripta sive Usucapta est, restituta revocationi obnoxia erit, Panormit. *in c. Ad aures cit. n. 4.* & Bartolus *in l. Omnes cit. n. 2. & cit. Rath cap. 1. n. 16.* Confirmatur; quia rem usucaptam repenti ita restituens præsumi nequit habere animum absolutum transferendi dominium: sed solummodo conditionatum, si res, quod errore ductus existimat, revera non sua sit, sed repentis; quia in dubio nemo donare, aut jactare, quod suum est, *l. Cum de indebitò 25. pr. V. Sin vero, ff. de Probat. §. l. Campanus 47. ff. de Oper. libere.* sed errare potius præsumitur, Glossa *in l. Generaliter 13. V. Causa, C. de Non numerat. pec. & Mascardus de Probat. conclus. 554.*

N n a

etuf. 554.

cluf. § 54. n. §. Cùm ergo ea conditio omnino deficiat, sub ea facta restitutio, propter defectum consensûs, corruet, & revocabilis erit, Haunold. *cit. Traët. §. num. 176.*

14. Dubium tertio est, an præscriptio- nis juri valeat renunciari. Quod cum Bartolo *in l. Nemo § 5. ff. de Legat. 1. aliqui* negant, eâ permoti ratione; quòd, ut dictum, introducta sit favore utilitatis publicæ, quæ certitudine dominiorum & litium diminutione plurimum promove- tur: favori autem publico à privatis ne- queat renunciari, *c. Si diligenti i 2. de Foro comper. § l. Jus publicum 38. ff. de Pactis.*

15. Verùm, licet rem bonâ fide possessam cum tempore præscribi, rerumque dominia certa esse, publicè multùm interfit, im- mediatè tamen & principalius id lege fan- ctum est favore utilitatis civium privato- rum, tam præscribentium; ut rerum, quas bonâ fide possident, cum tempore evin- cendarum metu & periculo liberarentur: quàm eorum, contra quos præscribitur, ut res suas eis diligentius invigilandò con- servent. Unde, sicut renunciari potest ple- rarumq; aliarum legû beneficio, immediatè & principalius privatam, quàm publicam utilitatem spectantium, sic renunciari etiã à privatis poterit beneficio præscriptio- nis; ut possessor, quancumque rem al- terius fuisse, certò comperit, aut demon- stretur, eam huic restituere teneatur, præ- sertim cùm hujusmodi renunciatio rerum dominium inter pacilcentes omnino cer- tum reddat, idque domino conservet, ut *in l. Nemo cit. cum Dyno, Ripa n. 105. & cum Gutierrez in ejus Repetit. n. 470. docet Palao Traët. 31. disp. Unica p. 22. §. 1. n. 6.*

ARTICULUS II.

De Possessione requi- sita ad Præscriptionem,

SUMMARIUM.

16. *Quinque requisita ad Præscriptio- nem.*
17. *Primum est Possessio vel quasi;*
18. *Saltem Civilis;*
19. *Quæ, etsi sola sufficiat,*
20. *Non tamen sufficit sola Naturalis;*
21. *Neque ea, quæ res detinetur nomine alieno;*
22. *Neque fundata in actibus inre su- cultatis.*
23. *Qui tales actus sint,*
24. *Ei quando esse desinant; ut sufficiat ad præscriptionem.*
25. *Possessio debet esse continuata in u- dem vel diversis personis.*

AD præscriptionem propriè sum- ptam à Jure itiusque Interp. & DD. cæteris magnò contem- su requiruntur, Possessio, Bona fides, justus Titulus, Legitimum tem- pus & Res non vitiola, juxta teritos verbi- culos

Non usucapies, nisi sint titulus quinque:

Bona fides, justus titulus, res non vitiosa,

Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

quorum versuum postremò Traditioni nomine Possessio, quæ illà frequentè ac- quiritur, denotari videtur.

Ad Præscriptionem enim rei corpo- ralis possessionem: & si ea incorporalis, quasi possessionem ante omnia alia neces- sariam esse, non est, qui in dubium vocat; eùm Juris Regula sit, *Sine Possessione præ- scriptio non procedit.* quæ est 3. in 6. cui consonat *l. Sine possessione 25. ff. de Usurp. & Usucap.* Quæ causa est, cur laici, sicut decimandi, eligendi, & similibus juri- bus quasi possessionis, sic etiam earum præ- scriptio-

scriptionis sint incapaces, *c. Causam 7.*
junctâ Glossâ ibi, *V. Detinere.*

18. Non est autem ad præscriptionem necessaria possessio Naturalis & Civilis simul: sed sufficit Civilis, ut Panormit. in *c. Causam cit. n. 6.* Covarruviz in *Reg. Possessor cit. p. 2. pr. n. 7.* Molinæ *Tract. 2. de J. & J. disp. 62. n. 1.* & aliorum, tam T. T. quàm J. C. T. orum communis doctrina, & ratio clara est; quia, si utraque simul exigeretur, vix ulla res unquam præscriberetur; cum Naturalem possessionem nemo facillè continet toto tempore legibus definitò, ut probè advertit Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 257.* eâque amissâ Civilem tantùm retineat abiens: à quo tamen rem ad præscriptionem perficiendam sufficiens possideri, patet ex *l. 1. §. 14. ff. de Acquir. possess. & l. Servi 17. §. fin. ff. de Furtis.* Unde rem commodatam, depositam, conductam, non commodatarius, depositarius, conductor vel colonus: sed proprietarius præscribit; quia apud hunc, non apud illos est possessio, non civilis tantùm, sed & naturalis; cum illi rem commodatam &c. non suò, sed alienò, scilicet proprietarii nomine detineant; & propterea non ipsi, sed proprietarius possideat, *c. Si diligenti 17. hic; c. Cum venissent 9. de Resit. Spoliat. l. Quod meo 18. ff. de Acquir. poss. & §. Possidere 5. Insti. de Interdict.* Glossa in *can. clerici, 16. q. 3.* & Molinal *cit. n. 4.*
20. Non tamen sufficit primò sola possessio Naturalis: sed, sicut sufficiens, sic necessaria quoque ad præscriptionem est possessio Civilis; quia, si absque ista illa sola sufficeret, una eadèmq; res simul præscribi, ejusque dominium acquiri posset à duobus, contra *l. Si, ut cerò 5. §. 15. ff. Commodati & l. De hereditate 19. §. 3. ff. de Castrensi pecul. id enim fieret, si ea ab uno Civiliter, ab altero Naturaliter so-*

lùm, possideretur, ut rectè advertunt Arnold. Rath *de Præscript. cap. 5. n. 5.* & *cit. Haunold. n. 256.* Quare ab emptore non præscribitur fundus emptus ab eo, qui illum absente & ignorante domino occupavit; quia emptor eum possidet naturaliter, civili possessione apud dominum remanente: donec reverfus eum recuperandi animum deponat, aut amittat facultatem, Molina *disp. cit. n. 2.* Eodem modò res in pignus &c. acceptas non præscribunt creditor & fructuarius, *l. Malè 2. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* quia eas si possidere concedantur, ut summum possident naturaliter: Civilis verò earum possessio remanet penes debitorem, aut alium ejus dominum, Sylvester *V. Præscriptio 2. n. 20.* Laiman. *Lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 14.* *Ipsas, inquam, res;* quia pignoris aut fructus percipiendi jus, fortassis à non domino constitutum, quòd id civiliter possideant, præscribere contra verum dominum possunt, Covarruvias, in *Reg. Possessor. p. 2. initiò n. 7.* & Rath. *cit. cap. 5. num. 6.*

Neque etiam secundò sufficit rei possessio aut veriùs detentio, quæ non suò, sed alienò nomine obtinetur; quia ita detentæ rei verus possessor est is, cujus nomine ea detinetur, *c. Si diligenti &c. cit.* Unde Tutores, Curatores, isque similes rerum alienarum administratores res, quas ita administrant & detinent, non sibi, sed pupillis, minoribus & aliis, quorum tutelam &c. gerunt, præscribunt, Molina *disp. cit. n. 5.*

Neque tertio, quæ fundata est in actibus liberæ voluntatis, sive, ut vocari solent, Meræ facultatis: quales & ad præscriptionem insufficientes censentur, qui non quasi ex obligatione aut jure alicui, ex lege vel conventione competente: sed vel jure familiaritatis aut amicitiz, ut v.g. invitatio ad convivium, vel receptio ad

N a n a hospiti.

hospitium: vel præcisè, quia ita lubet, ut est accessus ad tabernam vel officinam pro vino, cerevisia, pane, aliisque rebus ad vitum necessariis, aut mercibus emendis, vel ad molendinum, aut furnum pro tritico molendo, aut panibus excoquendis: vel, quia à Natura aut Jure publico, omnibus aliquid permittente, concessum & commodum est, ut fructio elementorum, commeatio per viam publicam exerceri, vel omitti solent, ut aliis DD. relatis eos explicant Mascardus *de Probat. conclus. 1221. n. 2. C. 3. cit. Rath. cap. 4. n. 6. lit. e.* & præ aliis accuratè Haringius *de Molendinis q. 21. n. 20.* Ratio autem, cur ex hujusmodi actibus allegata, in usque fundata possessio ad præscriptionem non sufficiat, ea est; quòd per actus ita exercitos vel omissos, hòc ipso; quòd non quasi ex obligatione, vel eos exigendi jure alteri competente, sed omnino liberè exercentur vel omittantur, eorum exercitium vel omissionem exigendi jus non possideatur: sine possessione autem, ut dictum, præscriptio non procedat. Quare, qui convivio vel hospitio quocumque tempore exceptus fuit, convivii aut hospitii jus non præscripsit: neque adversus eos, qui molendinum, furnum, officinam, vel tabernam longissimo & immemoriali etiam tempore accedere omnino liberè soliti sunt, aut per viam publicam ire soliti non sunt, ut in posterum ad illa accedant, aut per hanc itione abstineant, est præscriptum. Nisi hujusmodi actus exerciti vel omissi fuissent quasi ex obligatione, aut jure alteri competente: sicut contingeret, si, qui hospitium vel convivium diu præbisset, cum id non præbere vellet, interpellatus: aut, qui ad molendinum, furnum, tabernam diu accessit, cum aliam frequentare inciperet, prohibitus acquiesceret; ab eo enim tempore, quò hujusmodi interpellationi aut prohibitioni ac-

quiescit, convivii aut hospitii præbendi & ad molendinum, furnum &c. accedendi jus adversus acquiescentem possideri & præscriptio currere incipit: & ad convivium invitatio, atque ad ista accessus meræ facultatis actus desinunt esse, ut præter *cit. DD. tradunt Cravetta de Antiq. temp. p. 4. §. ult. à n. 39. Covarruvias cit. p. 2. §. 4. n. 6. & Laiman. Lib. 3. Tract. cap. 8. n. 8.*

Neque quartò ad Præscriptionem sufficit possessio interrupta; sed esse debet totò tempore à Jure requisito, sive in una, sive in diversis personis, quarum una eam in aliam transtulit, vg. in testatore & hærede, donatore & donatario, emptore & venditore &c. continuata ita; ut res à testatore, donatore, venditore usucapi capta, antequam ab ipsis ad hæredem, donatarium, emptorem pervenerit, possessa non sit ab alio, *c. Illud 8. hie. l. Usucapio 3. l. Possessio 20. l. Non solum 33. §. 4. ff. de Usucap. §. Diutina 12 §. Inter 13. l. Ipsi ibid. &c.* Quomodo autem interruptum patatur, infra statuetur.

ARTICULUS III. De Bona Fide,

SUMMARIUM.

26. *Hac ad Præscriptionem exiguntur 38. re Canonico,*
27. *Leges Civiles corrigent;*
28. *Quòd essent fomentum peccatorum.*
29. *Bona fides secundùm aliquos in Foro Seculari,*
30. *Et ad immemorialem.*
31. *Atque incorporalium præscriptionem necessaria non est.*
32. *Verius, sine ea in Foro etiam Seculari,*
33. *Immemoralis atque incorporalium.*

34. Ipsius etiam Jurisdictionis præscriptio non procedit.
35. Liberatio à servitute rustica & pænna,
36. Extinctio redhibitoria & quanti minoris Abionum,
37. Sicut & Consuetudo propriè dicta præscriptiones non sunt.
38. Non præscribit dubitans, an res sit sua:
39. Nisi dubium primùm supervenerit possessioni,
40. Et hæc sine peccato continetur.
41. Bona fides fundatur in facti:
42. Non etiam in Juris ignorantia, saltem crassa.
43. Ad illam tamen sufficit inculpata dubij,
44. Et in quibudam personis etiam clari Juris ignorantia:
45. Quacum cetera, non Ordinariò,
46. De Jure etiam Canonico:
47. Sed extraordinariò solùm tempore præscribunt.
48. Bona fides auctoritatis prodest successori civis.
49. Singulari, licet illius mala fides non obesse veteri,
50. Recentiori tamen Jure aliquando etiam ipsi,
51. Et multò magis Universali successori, non mediato:
52. Sed immediato dumtaxat nocet.
53. Nisi in dignitate vel beneficio successerit,
54. Vel istius titulum habeat aliunde quam à defuncto.
55. Vel suam tantùm longissimi temporis possessionem computet.
56. Malam fidem antecessorum civitatis &c. successoribus obesse quidam affirmant:
57. Alii DD. probabilius negant.
58. Domino non nocet mala fides servò,
59. Rem non sub, sed istius nomine eorum,
60. Neque Ecclesiæ mala fides Prælati,
61. Præscribenti obstat mala fides, etiam respectu non domini:
62. Bona fides in judicio alleganda:
63. Non etiam probanda est à possessore:
64. Nisi iste destitutus sit titulo,
65. Vel bona fidei præsumptio contrariis indiciis elidatur:
66. Vel rem alienam detinere propriis instrumentis convincatur.

Altera & ad Præscriptionem, de 26.
 Jure saltem Canonico, omnino necessaria conditio est Bona Fides, sive bona & illæsa conscientia circa possessionem rei alienæ, ut suæ; quòd possessior omnino existimet, eam esse suam, c. Vigilanti 5. & c. fin. cujus tenor est, Quoniam omne, quod ex fide non est, peccatum est, Synodali judicio definitum, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quàm Civilis. Cùm generaliter sit omni Constitutioni atque Consuetudini derogandum, qua absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ.

Quà utique saluberrimâ Constitutione ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi correctæ & abrogatæ sunt leges Civiles, bonam fidem ab initio dumtaxat, sive ad inchoandam, non etiam ad perficiendam longi, l. Unica C. de Usucap. transform. & S. Divina 12. Instit. de Usucap. ad longissimi autem temporis 30. vel 40. annorum præscriptionem, ne ab initio quidem, exigentes: atque eum etiam, qui rem illo tempore toto malâ fide possideret, adversus quemcunque petitorum exceptione perpetua munientes,

N a m

l. Si quis

l. Si quis 8. §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40 annor. secundum ejus expositionem à Gratiano traditam post *can. Plasuit 15. §. Potest V. Quodsi mala, 16. q. 3.* Hodie itaque ad quamcunque præscriptionem necessarium est; ut res toto tempore definito, bona fide sit possessa *cc. cit.* eisque consona *Reg. 2. in 6.*

Neque hanc Juris Imperialis correctionem difficilem reddit, quod ex una, relatæ aliæque ipsius leges malæ fidei possessionem, ejusque continuationem nupsiam approbârunt; ex altera verò parte, res, postquam secundum ipsas etiam cum mala fide præscripta est, sine peccato retineri potuerit à præscribente, qui ejus dominium consecutus est autoritate legis, latæ ob utilitatem publicam, scilicet ad diminuendas lites & tollendam incertitudinem dominorum, *l. 1. ff. de Usucap. & l. fin. ff. pro Socio*; & propterea non appareat, in quo dictæ *ll.* sint correctæ; cum *c. fin. cit.* solum derogetur Constitutionibus & Consuetudinibus, quæ absque mortali peccato non possunt observari. Quia hoc non obstante *ll. cit.* correctio necessaria fuit; quod illæ, etsi malæ fidei possessionem directè non approbarent, peccata tamen in animarum perniciem foverent, homines ad ejusmodi possessionis continuationem invitandò & alliciendò spe lucri, scilicet dominii rerum ita possessorum, quasi injustitiæ præmii, post certorum annorum lapsum firmiter consequendi. Quod peccatorum non leve fomentum laudatâ Conciliari Constitutione sublatum est, sublatâ & irritatâ præscriptione, quæ malæ fidei possessione aliquando niteretur, ut cum Soto *Lib. 4. de Justitia q. 5. art. 8. in c. fin. cit.* eruditè adnotârunt Barbosa *n. 4.* & Gonzalez *n. 15.* Unde

Dubium oritur, an *c. fin. cit.* dispositio in omni foro observanda sit: & re-

rum quarumcunque præscriptionem comprehendat.

Fuere enim primò DD. qui tam in foro solum Ecclesiastico observandam, existimarent cum Glossa in *c. cit. ff. Quam Civilis*, cum; quod legibus Civilibus, præscriptionem cum mala fide pernitentibus, ejus textu expressè non sit derogatum: tum verò; quòd, ubi Jus Canonicum à Civili divertit, utrumque in suo; ac proinde illud in Ecclesiastico, hoc in Seculari foro videatur observandum.

Secundò, alii cum Decio in *l. Traditionibus 20. C. de Pactis, n. 12.* & Salyceto in *l. Si aquam 2. C. de Servitutibus*, existimunt præscriptionem immemorialem partim, quod illa habeat vim privilegii, ex certa scientia à Principe concessi, & auctoritatem multò majorem, quàm aliæ præscriptiones *arg. c. 1. in 6.* tum verò; quòd ejusmodi præscriptioni & consuetudini constitutione etiam generali non derogetur, si expressa ejus mentio non fiat, per tradita à Panormit in *c. fin. de Consuetud. n. 35.* & Covarruvia *Lib. 1. de cap. 13. n. 5.*

Tertiò, rursus alii cum Bartolo in *l. Sequitur 4. §. 27. ff. de Usucap.* easdem ad res incorporales non extendi; ac proinde istas cum mala fide hodièque præscribi, docent; quòd *c. fin. cit.* Residui, *Qui rei habeat conscientiam aliena,* & *c. Vigilanti cit.* Prædia cum mala fide præscribi prohibeantur: Rei autem nomine strictè acceptò veniant solæ corporales, ut v.g. prædium est; ac proinde *cc. cit.* Juris Civilis correctoriæ dispositiones ad jura, actiones & cætera incorporalia non extendantur. Quæ Opinio non parum confirmatur Primò decisione *c. 1.* Secundum quam Episcopus locum, à se ad unitatem Fidei conversum, sive jurisdictionem in eum trienniò præscribit, quantumvis, eum alterius jurisdictioni subjectum

subiectum, sciat. Secundo; quia libertas à rustica servitute v.g. viæ, aut aquæ ductus per fundum, ab istius domino adversus alium, eâ decem, si præsens: si verò absens sit, viginti annis, cum possit, non utentem, præscribitur: quantumvis ille sive fundi dominus servitutem competere sciat, ut colligitur ex *l. Sicut 13. C. de Servitut.* verbis, *Ut omnes servitutis rusticæ non utendõ amittantur, & tradit Lessius Lib. 7. de J. & J. cap. 6. n. 12.* Tertio, simili modo exemptio à pœna v.g. mercium, ob non solum veltigal commissarum & fisco debitarum, à reo, huiusmodi sui debiti & commissiõnis concilio, præscribitur, *l. Neque 2. C. Veltig. & commiss.* Quarto, venditor, rei venditæ vitium sciens, ac proinde cum mala fide, actioni Redhibitoria sex mensium, & Actioni Quanti minoris unius anni, imò in Bavaria actioni utrique quatuordecim dierum spatium præscribit; ut emptor, qui, si rei vitium scivisset, eam vel omnino non, vel non tantò pretiõ empturus fuisset, non audiatur, si post illius temporis lapsum agat ad redhibitionem, & venditionis rescissionem, vel restitutionem ejus quanto minoris rem emisset, si vitium scivisset, *l. Sciendum 19. §. fin. l. Redhibere 21. ff. de Edict. edict. & Landrecht Tit. 6. art. 4.* Quinto, subditi contra legem, tam Ecclesiasticam, quàm Civilem, præscribunt, ejusque obligationem contrariâ consuetudine tollunt, non obstante illius scientiâ & mala fide, quâ contra eam agentes peccant, Balbus de Præscript. p. 1. q. 10. n. 7.

32. Sed multò veriùs, *c. fin. cit.* dispositionem in omni Foro observandam: eâque omnem propriè dictam, etiam immemoriam, rerum incorporalium præscriptionem comprehendit, cum Franco in Reg. Possessor cit. à n. 14. & Felino in *c. fin. cit.* à n. 1. defendunt *cit.* Balbus

p. 2. p. 3. pp. q. 13. à n. 1. Covarruvias in Reg. cit. p. 1. §. 8. n. 4. & §. 11. num. 3. Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 66. n. 5. Haunold. Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 291. & communiter alii TT. & JCT. Quòd *c. fin. cit.* Conciliaris dispositio etiam in foro Seculari observanda sit, factis exprimat textus, disertè irritans præscriptionem, etiam Civilem, quæ bonâ fide ullò possessionis tempore non nitetur: & generaliter derogans præscriptionem spectantibus Constitutionibus & Consuetudinibus, quæ absque peccato lethali observari non possunt: cujusmodi, quæ præscriptionem spectabant, vel maximè, imò solæ erant leges Imperiales, peccata foventes, eam cum mala fide permittendõ. Id ipsum evincit ratio; quia, cum de periculo animæ & vitando peccato agitur, Jus Canonicum, etiam Civile correctorium, in utroque, tam Seculari, quàm Ecclesiastico foro observandum est, per tradita in Proemio n. 159.

Quòd eadem *c. cit.* dispositio etiam 33. immemoriam rerum incorporalium præscriptionem comprehendat, iterum perspicuè habet textus, quò relatâ Constitutione Innocentius generaliter omnino, *Nulla*, inquit, *valeat sine bona fide præscriptio*: & suadetur ratione; quia cum mala fide conjuncta quæcunque, etiam immemorialis & incorporalium, præscriptio conjuncta est cum peccato: quocumque conjuncta generaliter omnis præscriptio *c. cit.* irritatur. Unde corruunt rationes pro immemoriam & incorporalium malæ fidei præscriptione; quia imprimis tam dispositionis verbis *Omnis & Nulla*, quàm rationis, quæ ea nititur generalitas, omnem: imò ista sive ratio præ aliis longissimi & immemorialis temporis præscriptionem, sine ulla exceptione comprehendit; cum peccatum tanto gravius sit, quanto diutius animam detinet alligatam

alligatam, *e. fin. de Consuet.* sicut vel maxime accidit, quando res aliena cum mala fide longissimo & immemoriali tempore possidetur, *e. fin. cit. pr. de Consuet.* ut cum Covarruvia *cit. §. 8. n. 9.* & aliis notat Barbosa *in c. fin. cit. n. 6.* Deinde; quia ejus dispositio favorabilis, & propterea extendenda potius est, quam restringenda; cum per eam consulatur conscientis hominum & animarum periculis obvietur: cujusmodi constitutiones, etiam correctorias, favorabiles & extensionis patientes esse, cum Bartolo *in Auth. Sacramenta C. Si adversus vendit.* & Franco *l. cit. n. 8.* communis sensus est DD. Et demum; quia prescriptio immemorialis vim tituli & privilegii eodem solum casu habet, quod possessio tanto tempore bona fide & sine peccato est continuata, Palao *Tract. 13. disp. Univ. p. 22. §. 6. n. 2.* & Pirthing *ad hanc Rubric. n. 49.*

34. Neque cum mala fide incorporalia prescribentem tumentur confirmationes, Prima; quia in casu *e. cit.* Episcopi possessio non est malae fidei; cum conjuncta non sit cum peccato: & in favorem Fidei atque odium negligentiae permessa sit à Canone, sive concilio Milevitano *cap. 24.*, sicut triennali non majorem & nullo suffultam, ita etiam hujusmodi, cum Juris quidem alieni scientia conjunctam, sed non peccaminosam possessionem ad ejusmodi loci sive jurisdictionis praescriptionem admittentis; ut adeo de hujusmodi possessione procedat, *l. Justè 11. ff. de Acquir. possess. Covarruvias cit. p. 2. §. 11. n. 3.* & aliis relatis Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 131. n. 16.*

35. Secunda & tertia partim; quia illae, tam servitutis rusticae, quam mercium aut alterius poenae confusiones non sunt proprie dictae praescriptiones, propter defectum ad has requisitae possessionis; cum ab ejusmodi servitute immunitas sive li-

bertas & à poena exemptio verè aut quasi non possideatur à praescribente, hoc in psò; quod servitute uti volentem prohibendi, & poenam, si exigatur, non solvendi animum nunquam habeant: sed solummodo vicinum, ut illa utatur, non admoneant, & hanc ultro non offerant; partim verò; quia, etiam si immunitatem à servitute & à poena exemptionem dicerentur possidere, dici tamen non possent ejus malae fidei possessores; quod poenam, tanquam legis aut sententiae judicialis eam infligentis executores, ultro offerre, & vicinum juris sui admonere, non teneantur: quò proinde, si ille non utatur, & poenam fiscus non exigat, jure suo ille & ille privantur potius ob suam negligentiam, quam ex actione praescribentis, ut rectè observant *in suis Tract. de J. & J. Lessus Lib. 2. cap. 6. n. 21.* Molina *Tract. 2. disp. 66. n. 3. §. 10.* & Card. de Lugo *disp. 7. f. 4. n. 50.*

Quarta; quia duae illae & si quae in illis similes sunt, actiones ad illas temporaria angustias redactae, litium minuendarum & publici boni intuitu anni vel semestris, & Jure nostro Provinciali quatuordecim dierum lapsu sponte sua in extero extinguntur potius, quam ipsae à venditore praescribatur, remanente in interno seu Conscientiae foro obligatione, ad omnia damni dolò dati refusionem; ut, quod justitia commutativa & Naturalis aequitas postulat, omnis inaequalitas emendetur, ut cum Panormit. *in c. fin. cit. n. 11.* & aliis probè advertunt Clarissimi Universitatis nostrae Antecessores ex TT. Haunold. *cit. Tract. 5. n. 185.* ex JCT. Arnold. *Rarb. Tract. de Ujucap. cap. 2. num. 16.*

Postrema; quia legi contraria consuetudo non est praescriptio proprie dicta, cum, si talis esset, ad legem Ecclesiasticam Universalem per viam consuetudinis tollendam

Iendam centū anni exigentur, & *Ad au-*
diendam 13. & c. *Cum vobis* 14. quod ad-
verlatur communi sententiæ DD. Confir-
matur; quia per ejusmodi legis abroga-
tionem nullum dominiū, aut jus aliquod,
commōdum vel utilitatem afferens, ab
uno in alium transfertur: & cum alterius
damno nemo locupletatur: sicut fit per
proprie dictam præscriptionem. Neque
refert; quod consuetudo esse debeat le-
gitime præscripta, & *fin. de Consuetud.* quia
talis esse dicitur; quod longo tempore,
& sine interruptione frequentatis actibus
fit introducta, sicut in præscriptione ita
continuata possessio exigitur, ut cum
Panormit. *in c. fin. cit. n. 7.* & Donello
tradit Palao *Tract. 3. disp. 3. p. 5. §. 2. n.*
5. & *Lib. 1. Tit. 4. n. 35.* est dictum. Unde

Inferitur, debitum v.g. centum ex
mutuo adversus creditorem, ejus solutio-
nem non exigentem, à debitore illius con-
scio, ullo, etiam longissimo tempore, non
præscribi, propter defectum bonæ fidei
aut possessionis; vel enim ejusmodi de-
biti & obligationis suæ conscius solven-
di voluntatem habet, vel non? Si prius,
non possidet jus non solvendi, live liberta-
tem à debito. Si posterius, hanc quidem
possidet, sed cum peccato & mala fide,
propter conscientiam debiti, vel certa die,
quando hæc confutata est, licet non exi-
gatur, solvendi; cum dies pro creditore
interpellat & admoneat solutionis. *l. Ma-*
gnum 12 C. de Contrab. Stipul. vel, si
certa dies constituta non est, solvendi tem-
pore, in solutionibus Regionis consuetu-
dine & usu observato: aut saltem, si à
creditore exigatur, ut cum Felino *in c.*
fin hic n. 3. & Imola *ibid. n. 24.* docent
laudati Molina *disp. 56. n. 5.* Lugo *disp.*
7. n. 49. & Haunold. *n. 193.*

38. Dubium ulterius est, an ad præscri-
ptionem requisitam bonam fidem impe-
diat dubium, an res, quam quis possidet,

revera sit sua. Impedire & præscriptioni
obstare, si, an sua sit, quis dubitat initio
possessionis, convenit inter DD. & patet
ex *l. Unica, V. Hoc tantummodo, C. de Jus-*
cap. transform. quia, an res, quam non-
dum possidet, sua vel alterius sit, dubi-
tans, eam ut suam possidere incipere, non
potest sine peccato, bonam fidem exclu-
dente, & *fin. cit.* & propterea omnino ne-
cessarium est; ut rationabiliter judicet,
rem esse suam: vel esse nullius, aut dere-
lictam; ut ejus dominium ac possessio ju-
sta ipsa occupatione acquiratur, *l. Quod*
enim 3. ff. de Acquir. domin. §. 1. §. 1.
ff. de Acquir. possess.

Idem cum Ant. de Butrio *in c. fin. 39.*
cit. & nonnullis aliis Soto *Lib. 4. de Ju-*
sticia 9. §. art. 4. censet de ejusmodi du-
bio, superveniente possessioni, bonâ fide
jam captâ; quod dubitans, an res sit sua,
non habeat conscientiam bonâ circa pos-
sessionem rei, ut suæ: cujusmodi con-
scientia constituit bonæ fidei possessorem.
Sed melius, hujusmodi dubio superveni-
ente bonam fidem non tolli, cum Glossa
fin. in c. fin. cit. Panormit *ibid. n. 39.*
Covarruvia *cit. p. 2. §. 7. n. 3.* Fachino
Lib. 1. cap. 65. & Molina *disp. 67. n. 9.*
docent *cit.* Lugo *num. 17.* & Pirthing *ad*
hanc Rubric. n. 56. id defuentes ex *can.*
Si virgo, 34. q. 1. Verbis, *Tamdiu quisque*
bona fidei possessor rectissime dicitur,
quamdiu se possidere ignorat alienum. Rati-
o est; quia de possessore ita dubitante
verum est, quod non habeat conscien-
tiam rei alienæ; ac proinde possidet bon-
nâ fide, *arg. c. fin. cit.* cum possessio in
dubio præsumatur esse justa & jure occu-
pata; quia in dubiis semper præferenda
sunt benigniora, *l. Semper 56. ff. de R. J.*

Aliud esset, si post bonæ fidei pos-
sessionem jam inchoatam dubitet, an res
sua sit: & per errorem existimans, eam,
tali dubio stante, salvâ conscientia, pos-
sideri

fideri non posse, possessionem nihilominus continuaret; cum enim hujusmodi possessionis continuatio peccaminosa & malæ fidei sit, inchoatam rei possessionem interrumpet ex decreto Conciliari, relato *c. fin. cit.* generaliter derogante omni præscriptioni, conjunctæ cum peccato mortali, & quam complens aliquo tempore conscientiam habet rei alienæ: quam utique habet possessor rei, quam existimat, illasâ conscientia, non posse detineri, *citt. Palao p. 22. §. 7. n. 3. & Pirrhing n. 58.*

41. Dubium tertio & celebris controversia est, an ad præscriptionem sufficiat bona fides, fundata in inculpatâ ignorantia Juris manifesti.

Juris, inquam; quia de ignorantia facti ambigi non potest; cum enim bona fides circa possessionem rei alienæ oriatur ex ignorantia, sive errore circa rei possessæ dominium, aut jus eam ut suam detinendi, omnino sufficiet ignorantia facti, quæ maximè tolerabilis est, v.g. quod pupillus fuerit is, à quo donata vel empta res à donatario vel emptore tanquam sua possidetur.

42. De Juris etiam ignorantia inter DD. satis convenit Primò, eam non sufficere, si crassa & multò magis, si affectata sit; quia hujusmodi (etiam facti) ignorantia non est sine peccato; cum scientiæ æquiparetur, & ratione præcedentis negligentia volita censeatur, *c. Ut animarum 2. de Confit. in 6. l. Etsi 15. §. 1. ff. de Contrab. empr. §. l. Nec supra in 6. ff. de J. & F. J. & propterea bonam fidem fundare non possit arg. c. fin. cit. citt. Molina disp. 64. n. 2. & Palao p. 22. §. 8. n. 1.*

43. Secundò, sufficere ignorantiam invincibilem Juris non liquidi, sive de ejus sensu variant Interpp. cum; quia talis propriè non est ignorantia Juris; cum de ratione Juris sive legis obligatoriæ sit, esse manife-

stum, *can. Erit. autem 2. dist. 4. tum verò* quia hujusmodi Juris ignorantia in neutro, tam Conscientiæ interno, quam externo foro constituit malæ fidei possessionem; ideoque eâ laborantis præscriptioni obflare non potest, Parnormit. *ms. De quarta 4. hic n. 12. citt. Covarruvias p. 2. §. 7. n. 12. & Molina n. 13.* Tertio, etiam Juris liquidi & clari ignorantiam inculpatam sufficere in personis, in quibus Juris ignorantia etiam, cum de lucro capiendo agitur, toleratur: ut sunt pupilli, minores & similes, *l. Cum ignorantia 2. §. 1. Quamvis C. de J. & F. J.* cum enim in hujusmodi personis Juris ignorantia toleretur, ex ea mala fides non præsumitur; & propterea, eâ non obstante, bonæ fidei Possessores esse censentur, *citt. Palao §. 1. n. 4. & Pirrhing n. 62.*

In ceteris personis clari & certi Juris ignorantiam ad bonam fidem non sufficere; eaque temporis saltem ordinariæ præscriptionem de Jure Civili impediti, patet ex *l. Juris 4. ff. eadem Rubr. l. Novam quam 31. pr. ff. de Usucap.* quibus Juris errorem sive ignorantiam in utraque personis possessori prodesse, diserte & generaliter negatur: *§. l. Pro emptore 1. §. 1. ff. Pro emptore; quâ & pr. cit.* caretur, eum, qui à pupillo sine autoritate tutoris aliquid emit, id ulucapere posse, si pupillum esse ignoravit; non etiam, si pupillum esse sciens, ignoravit, necessariam esse autoritatem tutoris; quia posteriori Juris, priori autem casu facti duntaxat ignorantia intervenit.

De Jure autem Canonico cujuscumque Juris ignorantiam invincibilem ad bonam fidem & præscriptionem, in foro saltem interno, sufficere, Medina de Restit. *q. 17. & nonnulli alii desumunt ex c. Per venit 4. de Empt. & Vendit.* ubi donatarius contra repetentem domum, ex donatione invalida acquisitam, se defendit præscriptio

præscriptione. Rationem dant partim; quòd hoc Jure illi solum præscriptioni derogetur, quæ conjuncta est cum peccato mortali; *c. fin. cit.* cujusmodi & mala fides non est, quæ in Juris invincibili & inculcata ignorantia fundatur; cum eà laborans non habeat conscientiam rei alienæ, vel injustæ possessionis, *can. Si virgo cit.*

46. Sed verius, etiam hoc Jure, tam in Conscientiæ, quàm externo foro, ex ejusmodi ignorantia ortam bonam fidem in præscriptione ordinaria non sufficere, cum Panormit. *inc. De quartâ 4. n. 12.* defendunt Covarruvias in *Reg. cit. p. 2. §. 9. n. 8.* Fachineus *Lib. 8. cap. 28.* Molina *disp. 64. n. 4.* & Haunold. *Tract. cit. n. 198.* Ratio, quâ nituntur, unica, sed solida est; quòd sacri Canones leges præscriptionum Civiles solummodo correxerint, quatenus foverunt peccata, præscriptionem permitteudò cum mala fide, in ceteris verò non mutarint: Imò, quia allegatæ ejusmodi leges, ab usucapionibus errorem Juris reicientes, peccata non foverunt, eas mutandi causâ non habuerint, ut locus sit, *arg. c. 1. de Novi oper. nunt.* Unde.

Corruit ratio allata pro Opinione Medinæ; quia, licet tali ignorantia laborans non habeat fidem malam moraliter & Theologicè, habet tamen malam Civiliter & Juridicè, hoc est, à legibus reprobata. Si dicas, leges procedere ex præsumptione malæ fidei in possessore, clari Juris ignorantiam habente; quæ cum respectu habentis ignorantiam invincibilem facta sit, talis in foro Conscientiæ præscribet: non difficilis responsio est; quia, esto, aliquo modo ex tali præsumptione procedant, non tamen ejus præsumptionis veritati alligârunt invaliditatem præscriptionis: sicut nullitatem testamenti debitis solemnitatibus destituti non alligârunt præsumptioni fraudis, in particulari casu intervenientis. Cujus ratio ulterior est; quia Jura scripta sunt vigilan-

tibus, *l. Pupillus 24. in fin. ff. Qua in fraud. credit.* utque cives ad ipsorum notitiam excitarentur, ignorantiam damnis obnoxiam esse, voluerunt, *arg. l. Ut perfectius 2. C. de Annulli except. Sc. Vigilanti cit.* Haunold. *Tract. cit. n. 199.*

Non magis quàm ratio advertebatur textus; quia *c. Pervenit cit.* agitur de extraordinaria & longissimi temporis 30. vel 40. annorum præscriptione: cui, quando non exigit titulum coloratum vel existimatum, sed sufficit præsumptus, bonam fidem ex ignorantia Juris ortam non obtinere, cum Imola *inc. de Quarta cit.* Covarruvia *cit. p. 2. §. 7. n. 6.* Lessio *cap. 6. num. 19.* & aliis probabilius defendunt *cit.* Haunold. *n. 207.* & Pirrhing *n. 62.* quòd Jure Civili triennaria & quadragennaria præscriptio currat cum mala fide vera, *l. Si quis 8. §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. Sc. Vigilanti cit.* ac proinde multò magis cum ficta & præsumpta: quod hoc & *c. fin. cit.* correctum non est, nisi quoad malam fidem peccaminosam: quoad eam verò, quæ, ut ex invincibili & inculcata Juris ignorantia proveniens, cum peccato conjuncta non est, Juris Civilis dispositio in suo vigore relicta est.

Neque, ut Molina *cit. disp. 64. n. 10.* existimat, aliud colligitur ex decisione Innocentii III. *c. Dudum 31. de Decimis,* decimarum, in donatione, à laico facta, ac proinde in Juris ignorantia fundatam, præscriptionem reprobantis, cum; quia *in c. cit.* casu allegatam longissimi temporis præscriptionem non probatam, satis clarè exprimit textus *c. cit. §. Ceterum:* tum verò; quia ex una, allegatus fuit titulus fundatus in ignorantia Juris: ex altera verò parte, quando etiam in longissimi temporis præscriptione titulus à Jure reprobatus, ut ille est, allegatur, alium justum & ad præscribendum sufficientem intervenisse, non præsumi: imò præsumi

præsumi, eum non intervenisse, & rem ex illo solo possessam, *cit.* Fachineo *cap.* 33. & Arnold, *Rath. Tract. de Usucap.* *cap.* 3. n. 34. tradit *cit.* Haunold, n. 232.

48. Dubium quartò est, an mala fides authoris noceat successori. Bonam illius fidem successori cuicumque prodesse, perspicuè traditur l. Pomponius 13. §. 1. ff. de Acquir. possess. l. Id tempus 14. ff. & §. Inter 13. *Instit. de Usucap.* quia author successori rem tradit cum omni jure, ac proinde etiam cum jure præscribendi, quod habuit; ut, si computare tempus, quò rem author bona fide possedit, idque cum suæ possessionis tempore conjungere sive, ut DD. loquuntur, illius temporis accessione uti velit, ei proficiat ad complendam præscriptionem, l. Titium 5. ff. de Divers. & temp. præscrip. *cit.* Molina *disp.* 65. n. 3. & Haunold, n. 218. Malam contra fidem successori de Jure Bavarico non nocere, patet ex Landrecht *Tit.* 9. *art.* 7. Jure autem communi prodita est distinctio; vel enim successor est Singularis, qui in re aliqua determinata & Singulari succedit, v.g. donatarius, legatarius, emptor: vel universalis, ut bonorum possessor & hæres defuncti, qui in universum istius jus, sive ex asse, sive in certa parte, v.g. in semisse, triente, quadrante, succedit.

49. Si prius, authoris mala fides ei non nocet, quò minus, si accessione temporis, quò ille rem mala fide possedit, non utatur, præscriptione à sua bonæ fidei possessione valeat inchoare, l. An vitium *cit.* quia mala fides non est vitium reale, sed personale: cujusmodi vitium, cum inhæreat personæ, non rei, ad personam ab authore diversam, cujusmodi successor singularis est, non transit, *cit.* Covarruvias §. 9. n. 8. Molina *disp.* 65. n. 1. & Palao p. 22. §. 9. n. 7.

50. Excipiendus tamen est hujusmodi successor in re immobili; in hac enim successor authoris mala fides in tantum

nocet; ut eam contra dominum, sive eum, ad quem pertinet, ignorantem, ordinario tempore decem inter presentes & viginti annorum inter absentes præscribere nequeat; sed ad hoc opus sit extraordinaria sive 30, sive 40. annorum præscriptione, *Autb. Mala fidei C. de Præscrip. longi temp.* quâ, sive *Novella 119. cap. 7.* Unde *Autb. cit.* desumpta est, jus vetus à Justiniano est temperatum, *cit.* Molina n. 1. Haunold. *num.* 215. & Purthing n. 67, *cit. Autb.* Jure novo, sicut jurium v.g. hypothecæ; quòd expressè de dominio loquatur; ita rerum etiam mobilium præscriptionem comprehendi negantes; quòd de 10. & 20. annorum præscriptione, res immobiles spectante, loquatur: & extensionem, tanquam veteris Juris correctorium, non patitur: neque id ad res mobiles extendi, fuerit ulla necessitas, & vix operæ pretium; cum enim res mobiles mala fide possessæ regulariter furtivæ sint, rarissimus est casus, quò à mala fidei possessore accepta triennio valeant præscribi, ut præter alios observant Bruneman. in *Autb. cit.* n. 5. & *Rath. cit. cap.* 2. n. 38.

Si posterius & successor fuerit universalis, opus est altera, pariter in Jure fundata distinctio, inter successorem universalem mediatum & immediatum. Illi enim sive mediato successor, puta hæres hæredi antecessoris mediati mala fides non obest; ut, licet in longi saltem temporis præscriptione uti nequeat accessione temporis sui immediati authoris, qui malam fidem habuit solummodo fictam, tamen præscriptionis tempus computare saltem valeat à propria possessione; quia defuncti hæres hæres cum authore suo tantum mediato una persona non censetur; cum duplex fictio Juris ex eodem capite & in eadem causa non admittatur, *cit.* Covarruvias §. 9. n. 6. Molina *disp.* 67. n. 7. Palao §. 7. *num.* 4. & Haunold.

- §2. & Haunold. n. 209. Isti verò sive defuncti proximo hæredi mala auctoris fides nocet; ut ab isto malâ fide possessa rei præscriptionem, ne à propria quidem bonâ fidei possessione, sive ab aditæ hereditatis tempore, inchoare & trium, decem & viginti annorum spatium complere possit, l. Cum hæres 11. ff. de Divers. temp. præscript. l. fin. C. Communia, de Usucap. & §. Diutina 12. Instit. de Usucap. Ratio l. cum hæres cit. redditur; quia hæres, cum in omne jus defuncti succedat, suâ ignorantia vitia defuncti, quocum una persona reputatur, non excludit. Ita cum Panorm. in c. Si diligenti 17. n. 30. & Dyno in Reg. Possessor cit. n. 42. cit. Covarr. §. 9. n. 1. Fachineus Lib. 8. cap. 66. Molina disp. 65. n. 4. Haunold. n. 208. & Pirrhing n. 68. cum cit. Covarr. n. 7. excipiens Imprimis successorem in dignitate vel alio beneficio Ecclesiastico: cui, quod istius titulum non hæredis instar ab antecessore, sed à collatore habeat, beneficium, quod ipse bonâ fide possidere cepit, aliâque rem præscribenti, antecessoris mala fides non obstat.
- §4. Deinde etiam successorem hæredem, qui aliunde quàm à defuncto habuit justum titulum v.g. donationis, emptionis, sicut v.g. contingit, si defunctus rem, prius alicui pignori datam, postea vendat alteri, eamque ab isto sive emptore hæres emat; talis enim rem, quam ex empto, ac proinde iusto titulo possidet, ordinario tempore præscribit, l. An vitium 5. §. 1. ff. de Divers. temp. præscript. cit. Covarr. n. 6. in fine, Molina n. 5. & Haunold. n. 217.
- §5. Dubium quintò & contentio inter DD. ingens est, an successori immediato, suam duntaxat & bonâ fide inchoatam rei possessionem computanti, mala fides auctoris etiam nocet in tricenaria & quadragenaria præscriptione; eam enim & in hac & quancumque temporis præscriptione successoris nocere, suadet gemina ratio. Una est; quòd successor universa-

lis non solum omne jus habeat à defuncto, sed Juris fictione una eademque cum eo persona censeatur; ut ejus vitia non excludat, illiusque fictionis vigore reputetur possessor malâ fidei, de Canonico Jure omnem quancumque temporis præscriptionem impediens. Altera; quòd eodem hoc Jure hæres in foro animæ exonerare teneatur conscientiam defuncti, c. fin. de Sepult. & c. In literis 5. de Raptor. exonerare autem istius conscientiam aliter non possit, quàm rei malâ fide ab eo possessa restitutione: quibus rationibus ducti, cum Panormit. in c. Si diligenti 17. n. 30. Balbo de Præscript. pr. p. 3. p. 2. q. 5. n. 12. Molina disp. 65. n. 4. & aliis Opinionem hanc ex Electoralis nostræ Universitatis T. T. sustinet Haunold. cit. Tract. 5. n. 214. & viriliter propugnant ex JCT. is Fachineus Lib. 1. Consil. 28. à n. 45. Georg. Everard. vol. 1. Consil. 10. n. 59. & cit. Rath. cap. 2. n. 51. secutus auctoritatem istorum & aliorum Antecessorum Collegii nostri Juridici, eandem Opinionem in causa gravissima & longa hæredum successione præferentis.

Sed postremum hoc, juxta dicta, non probant cit. Molina n. 5. & Haunold. n. 217. quòd cum defuncto eadem persona solus hæres immediatus reputetur: non etiam remotiores; ne ex eodem capite duplex Juris fictio admittatur. Prius etiam, sive auctoris malam fidem proximo hæredi, à propria & bonâ fidei possessione longissimi temporis præscriptionem inchoanti, obstat cum Baldo in l. Nihil 2. C. de Usucap. pro hærede n. 2. Aretino in l. Pomponius 13. v. 1. ff. de Acquir. poss. verisimilius negant Covarr. in Reg. Possessor p. 2. §. 9. n. 5. Vasquius Lib. 2. Illustr. controvers. cap. 73. à n. 72. Thesaur. 22. Forens. Lib. 1. q. 4. n. 11. secundum hanc sententiam judicatum asserens in Senatu Pedemontano &

Gilcken de *Prescript.* p. pr. 2. memb. 1. cap. 16. n. 33. Quorum hac de re sensus prævalet pondere rationis; quia etiam proximi hæredis in propria & longissimi temporis possessione fundatam præscriptionem nec Civilis nec Canonici Juris autoritas infringit; cum Civili jure tanto tempore præscribitur cum mala fide vera, & conjuncta cum peccato; ut ea munitus fur quoque & prædo adversus pristini domini impetitionem defendatur, *l. Sicut 3. l. Omnes 4. C. de Prescript. 30. & 40. annor. & l. 1. §. 1. C. de Annali except.* ac proinde multò magis cum mala fide solum ficta, cum peccato non conjuncta, cujusmodi est hæredis, qui rem alienam esse ignoravit, ut nemo inficiatur; Canonicum autem Jus præscriptionem rejicit & irritat, quæ conjuncta est cum peccato & ex isto proveniente periculo animæ, *c. fm. est.* quod mala fides solum ficta in possessore, rem alienam non esse, syncerè existimante; ac proinde circa ejus possessionem non peccante, non inducit.

Neque rationi huic præponderant adductæ in contrarium. Prior; quia cum fictitia identitas cum defuncti persona tricenariæ & quadragenariæ præscriptioni non obstiterit de Jure Civili: eaque omni labe peccati, animæque periculò vacet, hæredi hodie quoque non officiet, hòc ipsò; quòd cum mala fide solum ficta perfecta Canonici Juris dispositione non afficiatur. Posterior; quia hæres ad exonerandam defuncti conscientiam non obligatur, quamdiu rem ab illo mala fide possessam & in se translata esse alienam ignorat. Neque etiam post præscriptionem cum rei alienæ ignorantia completam; quia ista completà res aliena esse jam desiit, & ipsius propria esse jam capit beneficiò præscriptionis tricennariæ, nullum titulum expolcentis, *l. Sicut 1. O-*

mmes cit. & can. Placuit 15. §. Post. 16. g. 3. quòd prior dominus ob suam taciturnitatem rem à se abiectis & alienis Juris interpretatione videatur. Ut proinde præcedens vitium omne purgatum & defuncti conscientia, quantum potest, exonerata jam sit; cum hac purganda fuerit restitutione rei alienæ, qualis jam desiit esse.

Dubium sextò & non levis momenti & controversia est, an mala fides antecessorum Provincia, Civitatis, Collegii, aut alterius Universitatis nociva sit successoribus; ut his, v.g. jurisdictionem præscribentibus, quantumvis ipsi habeant bonam, mala tamen fides antecessorum defunctorum obstet. Id certè cum Innocentio in *c. Cura 11. de Jure Patron.* negant Vasquius *lib. 2. Illustr. controvers. cap. 71.* Balbus de *Prescript. p. 2. pr. p. 3. q. 1. n. 3.* & Gilcken *Trat. simili p. & memb. 2. cap. 6. n. 22.* quòd mala fides sit quid facti, *l. Bona 48. §. 1. ff. de Acquir. rer. dom.* & cadere nequeat in ignorantem, præsertim iustà causà: justam autem causam ignorantia habeat, qui in alterius locum succedit, *l. Qui in alterius 42. ff. de Re. J.* Imò *cit.* Gilcken *n. 24.* ad successorum præscriptionem sufficere, ait, si antecessorum, rem alienam mala fide possidentium, parti majori successerint totidem bonæ fidei cives. Ratione eà movetur; quòd ex utriusque Juris Regula ad omnes referatur, quod publicè fit per majorem partem, *c. 1. de Jus. qua à majori & l. Quod major 19. ff. ad municipal.* & propterea considerandum sit, quæ fide, non à paucis numerò, sed à præcipua, sive majori provinciæ, civitatis, collegii, vel alterius universitatis parte res possideatur; ut illius jus potius conservetur bonæ plurium, quam paucorum malæ fide labefactetur & convellatur.

Hac tamen & aliis, quas *cit.* Gilcken *ff. congerit*

congerit, rationibus suffultra istorum Opinioni contrariam, & malâ antecessorum ejusmodi successorum bonam fidem convelli, constanter tenuerunt, & in facto consulti, tribus Germaniæ nostræ Universitatibus idē respondentibus, unanimi suffragio subscripserūt Collegii nostri Juridici antecessores referente Fachineo *Lib. 1. Consil. 10. n. 29.* & testificante Rath *cit. cap. 2. n. 58.* quos Collegio T. T. novissimè secutus est *cit. Haunold n. 219.* Rationem reddunt; quia provincia, civitas, collegium & alia similis universitas semper eadem est, nec mutatur, quantumvis in singulorum decedentium locum alii atque alii succedant, *l. Proponatur 76. ff. de Judicis;* & propterea, sicut hæres, quod eadem cum defuncto persona reputetur, istius vitia suâ ignorantia non excludit. *l. Cum hæres cit.* ita mala antecessorum fides transeat ad successores; cum, quam illi constituerunt, communitas istorum successione non immutetur. Unde alia hujusmodi successorum ratio, inquit, est, quàm aliorum, qui persona ab antecessore diversa censentur; & Baldus *in l. Imperium 3. ff. C. de Juris dict. omn. jud.* in præscriptione Universitatis in majori istius parte bonam fidem initio requiri, & rei alienæ scientiam oblivioni traditam pro bona fide non haberi, ait, hinc inferens, à populo jurisdictionem, v.g. in castrum aliquod, si ab initio in mala fide sit, nunquam præscribi; quòd, cum populus idem numerò semper sit, mala fides semper continuari videatur.

In hoc dissidio, sicut posteriorem hanc Opinione ob DD. eam tuentium auctoritatem veneror, sic rationi Jurisque magis consentaneam censeo priorem; quia antecessorum mala fides successorum tricennaria & longioris temporis præscriptioni non nocet de Jure Civili; cum isto talis præscriptio sine titulo & cum mala fide

vera procedat: Juris autem Canonici dispositio resistit soli præscriptioni malæ fidei veræ; quòd hæc sola in animæ periculum vergat: fictam autem & cum peccato animæque periculo non conjunctam, qualis est hujusmodi successorum, rem, quam longissimo tempore possident, suam esse syncerè existimantium, non afficit; ac proinde in eo, quod Civili Jure obtinet, robore relinquit.

Dubium septimò est, an mala fides Prælati noceat Ecclesiæ. Ratio dubitandi est; quia servi rem, quam scit alienam, ementis mala fides impedit, ne res illa præscribi valeat à domino, eam alienam esse ignorante, *l. Pro emptore 2. §. 10. ff. Pro emptore.* Unde Prælati, Ecclesiæ vel Monasterii nomine rem alienam scienter ementis aut detinentis, mala fides Ecclesiæ vel Monasterio nocere videtur. Verùm *§. cit.* textus expressè de servo, rem alienam peculiari duntaxat nomine & sibi quodammodo emente, atque ita prius sibi quàm domino acquirente agit & procedit. Casu autem, quò ejusmodi rem, non prius sibi, sed immediatè domino acquirit, ipsius mala fides domini, bonam habentis, usucapioni non obstat, per eundem *l. §. 12.*

Quare ex hoc potius, quàm illo sive *§. 10.* argumentum ducendum, dicendumque est, Ecclesiæ vel Monasterii præscriptioni solius Prælati malam fidem non obstat; quòd generaliter delictum personæ in Ecclesiæ detrimentum non debeat redundare, per *Reg. 76. in 6.* & Prælatum respectu Ecclesiæ vel Monasterii se habeat instar procuratoris, *can. fin. 12. q. 1. C. c. Fraternalitatem 2. de Donationibus,* & tutoris vel curatoris, *arg. c. 1. C. c. Auditio 3. de in Integ. restit. Gutierrez de Tutelis p. C. cap. 1. n. 8.* & propterea, sicut mala fides procuratoris & alterius rerum alienarum administratoris domino, *l. Quod servo*

seruo 17. ff. de Liberali causa & l. Quod vulgo 11. ff. Pro emptore: & tutoris vel curatoris pupillo aut minori non nocet, l. Is qui 11. §. 6. ff. Quod vi & clam & l. Neque 198. ff. de R. J. sic etiam Prælati & alterius rerum Ecclesiasticarum administratoris mala fides Ecclesiæ vel Monasterio non debeat obesse, ut cum Panormit, in c. fm. n. 41. & 42. Bartolo in l. Qui fundum 7. §. Procurator 6. ff. Pro emptore & aliis docet Balbus de Præscript. p. 2. pr. p. 3. q. 15. n. 2. & q. 18. n. 3 Gilcken de Præscript. p. 5. memb. 2. cap. 6. n. 23. cit. Rath. cap. 2. n. 55 & Haunold. n. 220. propter claros textus c. Nihil 2. hic, §. 6. cit. & l. Iniquissimum §. ff. de J. & F. J. cujus pr. Iniquissimum videtur cuiquam scientiam alterius potius, quam suam, nocere.

Unde, ad Ecclesiæ vel Monasterii præscriptionem, propter Prælati malam fidem, impediendam vel interrumpendam, exigitur, ut rei alienæ conscientiam præter ipsum habeat Capitulum vel Conuentus, sive major istius pars, Balbus cit. n. 2. quia Prælati cum Capitulo seu conuentu, vel majori istius parte ipsam Ecclesiam vel Monasterium repræsentat. Nisi Ecclesia Prælatum vel Rectorem haberet sine Capitulo; cum enim in huiusmodi sive non Conuentuali Ecclesia Prælati seu Rector solus idem possit, quod in Conuentuali Prælati cum Capitulo, Glossa in c. fm. V. Repelli, de Locato & Felin. in c. Edoceri 2. de Rescript. n. 9. V. Etiam in aliis, in Ecclesia, Capitulò carente, Prælati seu Rectoris solius, cum Ecclesiam solus repræsentet, mala fides Ecclesiæ nocet, Balbus cit. n. 2. & 3. Casu tamen, quò Ecclesiæ Conuentualis Prælati mala fidem solus haberet, ad conscientiam suam exonerandam Capitulum seu Conuentum admonere deberet, rem, ab Ecclesia vel Monasterio possessam, esse

alienam; ut eò huic demonstratò illius restitutione decerni possit, cit. Gilcken cap. 6. n. 14. Rath. num. 58. lit. A. & Haunold, n. 220.

Dubium octauò est, an ad præscrip- tionem sufficiat fides mala respectu non- domini, si respectu domini sit bona, puta, si res credatur esse Titii, cum sit Caji, Quod cum Felino in c. Illud §. n. 1. & aliis affirmat Molina cit. Tract. 2. disp. 723. n. 4. & suaderi videtur paritate habentis bonam fidem, respectu unius partis fundi; qui hunc præscribit, etsi malam fidem habeat respectu alterius partis, ut idem Molina docet Disp. 63. n. 13. Sed, etsi hoc verum, alia tamen ratio est habentis malam fidem respectu non-domini; quia iste revera habet conscientiam rei alienæ & possessionem conjunctam cum peccato mortali: in qua fundata præscriptio generaliter rejicitur c. fm. cit. Contra malè fide possidens unam partem fundi, respectu alterius, quem præscribit, non habet conscientiam rei alienæ & peccaminolam possessionem; ac proinde ipsi non obstat Conciliaris dispositio c. cit. ut cum Covarruvia cit. p. 2. §. 8. n. 5. & Fachino Lib. 8. cap. 34. docent cit. Palao p. 22. §. 10. n. 2. & Pirrhing n. 76.

Porro bonam fidem circa rei, que asseritur præscripta, possessionem in iudicio allegandam, DD. passim moment cum Baldo in l. Super longi 1. c. de Præscript. long. temp. Non allegandam solum, sed & probandam, aliqui voluerunt apud Hunnium Vol. 2. in Trent. disp. 22. q. 44. hunc eorum sentum merito rejicientem, cum; quòd in dubio quilibet præsumatur bonus, l. Merito §. 1. ff. Pro Socio & c. fm. junctâ Glossâ fm. de Præscript. & idcirco dolum allegans ad probationem adstringatur, l. Quotiens 18. §. 1. ff. de Probat. & l. Dolum 6. c. de Dolo; tum verò; quòd bona fides præcipue fundetur in igno-

in ignorantia facti alieni, aut juris alii competentis: quam probatione non indigere, sed, si scientia non probetur, præsumi, Juris est omnino explorati, *l. Verius a. ff. de Probat. & Reg. Præsumitur 47. in 6.* Quæ bonæ fidei præsumptio possessori eò saltem casu patrocinator, quò titulum, saltem apparentem, aut putativum, habet, Bartol. *in l. Celsus 27. ff. de Usurp. & Usucap. n. 17.*

Eidem possessori, etiam titulò deftituto, bonæ fidei præsumptionem patrocinatori, defumi inde videtur; quò defectus tituli & bona fides simul consistere valeant, ut eum Glossa *in l. Si quis 8. ff. Tenevit. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. tradunt Accursius in l. cit. v. Eadem & Alciatus Reg. 3. præsumpt. 5. n. 3.* Sed eorum Opinio veritati consentanea non est, & apertè convellitur *l. Ero barede 11. §. fin. & l. segg. ff. de Hæredit. petic. quibus & l. fin. C. Unde vi, possessionis titulo & causâ deftitutus, iis saltem casibus, quibus Jus commune titulum exigit, prædonis instar, ac proinde malæ fidei possessor apertè reputatur, Bartol. *cit. n. 17.* & Menoch. *de Arbitr. casu 225. n. 4.**

64. Præter casum, quò rem sine titulo detinet, existimatio bonæ fidei in possidente eliditur, & mala fides præsumitur, si ei rem empturo denuntiatum sit, eam esse alienam, *l. Si fundum 17. C. de R. V. Bartol. in l. Celsus cit. n. 18.* & ibi Baldus *n. 10.* si rem emit à statim consumpturo, prodigò, aleatore, luxuriosò, Panormit. *in c. Si diligenti 17. n. 26.* vel non servatis Juris solennitatibus, *arg. l. Quemadmodum 7. C. de Agricol. & censit. & Reg. Qui contra 82. in 6.* vel insolitis cautelis adhibitis contraxit; cum in hoc dolus præsumatur, Glossa *in l. Si quis 7. ff. de Condit. insit.* & Everard. *Legal. arg. ff. de Condit. insit. n. 6.* si probetur, possessorem coram aliquibus factum, se scire, rem esse

alienam: vel eam alterius esse, duorum testimoniò conflet, aut fama in vicinia sit, Felin. *in c. cit. n. 5.* & Menoch. *casu cit. n. 8.* si rem à procuratore, eam domini nomine vendente, emit, non inspectò mandatò, & hoc insufficienti vel nullum fuisse, postea deprehendatur, *cit. Felin. n. 5.* & Panormit. *n. 25.* si, rem alienam esse, scire potuit ex Jure communi vel municipali, *cit. Menoch. n. 16.* si, de jure suo dubitans, titulum procuravit saltem, postquam super re possessa in jus est vocatus, aut se vocandum vehementer metuere cepit, Idem Menoch. *n. 10.* & Mascard. *de Probat. conclus. 1004. n. 50.* à quibus relatis his aliisque

Addi potest casus, quò penes ipsum rei possessorem existunt instrumenta, literæ & libri, eam alienam esse perspicuè perhibentes; ex his enim, illum malæ fidei possessorem esse, præsumi & probari, cum Cephalio *Consil. 361. n. 33.* Tiraquello *de Retract. Lign. §. 12. gl. 1. n. 9.* Wesenbecio *Consil. 8. n. 36.* & aliis docuere celeberrimi duo Facultatis nostræ Juridicæ Antecessores Georg. Everardus *Vol. 1. Consil. 54. n. 134.* & Arnold. Rath. *Tract. cit. cap. 2. n. 27.* & *cap. 3. n. 34.* eà ducti ratione; quòd quilibet scire & intelligere præsumatur tenorem instrumentorum & scripturarum, quæ in scriniis & archivio suo habet, eorum præsertim, quæ jura sua concernunt, aut pertinent ad officium & administrationem, *cit. Mascardus Conclus. 1300. n. 21.* & Gaill. *Lib. 2. Observat. 27. n. 2.* quia ea, quæ scire & intelligere debet & facile potest, ignorare nemo censetur, *arg. l. Non est serendus 12. ff. de Transact. cum scire, & scire debere ac facile posse de Jure paria sint, l. Quod re 5. in fine ff. de Reb. credit. & l. Julianus 29. ibi, Qui sciret & scire potuisset. ff. ad S. C. Maced.* ideòque ignorans, quòd scire debuit, nullà excusatione dignus judicatur,

P p p

§. Ut

§. Ut itaque, in fine, post can. Ideo 14. & can. fin. dist. 37.

ARTICULUS IV.

De Titulo,

SUMMARIUM.

67. Prescriptio ordinariè exigis Titulum,
68. Seu causam ex se habilem ad dominium transferendum;
69. Non quidem validum;
70. Sed verum seu coloratum,
71. Aut saltem existimatum;
72. Nisi iste sit Venditionis.
73. Sine titulo longi temporis prescriptio non procedit,
74. Exceptis servitutibus realibus saltem continuis.
75. Longissimo verò tempore etiam res alia prescribuntur;
76. Nisi prescribenti adversetur Jus commune;
77. Non quidem aliquem incapacem reddens possessionis,
78. Neque ei quomodocunque;
79. Sed vehementer resistens,
80. Et ei, contra quem prescribitur, assensens.

67. **T**ertia conditio, ad prescriptionem ordinariè requisita, est justus Titulus, c. Si diligenti 17. l. Celsus 27. ff. de Usurp. & Usucap. §. l. Nulla 24. G. de R. V. quia est causa & fundamentum justæ possessionis; cùm sine eo bona fides haberi nequeat initiò possessionis; neque enim credere quis potest, se habere jus possidendi, nisi credat se habere titulum, ex quo hoc jus oriatur, Covarruvias in Reg. Possessor p. 2. S. 5. pr. & Haunold. Tom. 1. de J. & J. 1707. §. n. 178.

Tituli nomine hic intelligitur Causa possessionis, ex se habilis ad dominium transferendum: ut sunt legatum, fidei commissum, donatio, emptio, permutatio, do ut des, transactio, adjudicatio, solutio, sive rei in solutum acceptio, ejus pro derelicta habitæ occupatio &c. sic enim, licet donator rem, cujus dominus non fuit, sed esse bonâ fide existimabatur, donandò, ejus dominium non transferat in donatarium, in hunc tamen transfert conditionem prescribendi, l. Si is, qui alienam a ff. pro Donato. Est autem hujusmodi titulus potest quadruplex, &c.

Primò quidem Validus, v.g. donatio, emptio Jure valida: cujusmodi titulus, qui rem possidet, eam prescribere non potest; quia, translato per eum in se rei dominio, hæc jam est sua; cùm quod meum est, ex alia causa meum fieri non possit, nisi desierit esse meum, c. Inter delictos 6. V. Caterum, de Fide Instrument. & Glossa ibi V. Quod meum. Propter quam causam, etiã quis rem ex pluribus causis sive titulis valeat possidere, l. Possideri 3. §. 4. ff. de Acquir. posses. non tamen illam ex omnibus, sed eò duntaxat titulo prescribit, ex quo illam prius cepit possidere, §. Sic itaque 14. Instit. de Abi. §. l. Non ut 159. ff. de R. J. ut rectè advertunt cit. Rath. cap. 3. n. 28. & Bruneman. in l. Possideri cit. n. 8.

Secundus Coloratus & apparens, sive, ut à DD. passim nuncupatur, verus, sed invalidus; Cujusmodi titulus est donatio v.g. aut venditio, quæ, licet re ipsa non valeat, quòd v.g. à non domino facta sit, bonâ tamen fide pro valida habetur; atque idcirco in donatarium vel emptorem, licet non ipsum rei donatæ emptive & traditæ dominium, usucapiendi tamen conditionem transfert, eumque habilem efficit, ad eam certo tempore prescribendam. Et

Sam. Et hic titulus indubitatè sufficit ad præscriptionem cujuscunque rei, Jure non prohibita possideri, Molina *Tract. 2. disp. 64. n. 1.* & Haunold. *Tract. cit. n. 222.*

71. Tertius Existimatus seu putativus: qualis titulus datur, quando ejusmodi causa aliqua, vg. legatum, donatio, emptio revera non præcessit, ex justa tamen causa creditur præcessisse, vg. si hæres rem quasi debitam ex legato, aut alius quasi donatam aut venditam tradat: cum tamen legatum non sit, neque venditio aut donatio ulla præcesserit. Et hujusmodi titulum existimatum ad præscriptionem sufficere, cum *cit. Rath. n. 11.* & aliis JCT. is RR. tradit *cit. Haunold. n. 224.* & clarè expressum est *l. Non solum cit. §. 1. ibi, Si justam causam habuerit existimandi, se heredem existisse, fundum præ heredem possidebit, l. Ea res 5. ff. pro Legato &c.*

72. Excipiendus tamen est Titulus Emptionis, quocum, si solum existimatus & non coloratus sit, ordinariò decem aut viginti annorum tempore non præscribitur, per textum *l. Si existimans 48. ff. de Usucap.* ubi in præscriptione ex titulo Emptionis bona fides, quam titulus fundat, non solum traditionis, sed contractus etiam tempore desideratur. Nisi præscribens rei emptionem servo, aut alteri mandaverit: & hic, eam tradens, mandantis nomine emptam asseruerit, *l. fin. ff. Pro suo;* quòd rem ita traditam possidens, in alieni facti ignorantia fundatò, ac proinde justò & tolerabili errore, eam emptam credat, Haunold, *l. cit. n. 234.*

73. Quartus est titulus Præsumptus: qui datur, quando ex diuturnitate temporis, quò rei possessio bona fide continuata est, legatum, donatio, emptio, aut alia ad dominii translationem sufficiens causa præcessisse à Jure præsumitur: etsi possessor legati, donationis, vel alium ti-

tulum in specie non valeat allegare, & fortassis omnino non præcesserit: cujusmodi titulus in præscriptione ordinarià, quæ, si res mobilis trienniò: & si ea immobilis est, decenniò inter præsentès & inter absentes vicenniò completur, neutro Jure præsumitur; ac proinde in ea coloratus, aut saltem existimatus titulus exigitur, Jure tam Canonico, quam Civili, *l. Celsus cit. l. Nullo 24. C. de R. V. & can. Placuit 15. §. Possess. 16. q. 3.* Balbus *de Præscript. p. 2. pr. p. 3. q. 6. n. 1.* & Covarruvias *cit. p. 2. §. n. 2.*

Excipiendæ tamen sunt Servitutes 74. saltem reales continuæ, hoc est, quarum semel constitutarum usus semper durat, & factò hominis successivò non indigent, ut est aquæ ductus, fuggundii & similes servitutes; ad harum enim etiam ordinariam præscriptionem allegatio & probatio tituli necessaria non est, sed sufficit scientia & patientia domini, *l. 1. l. Si aquam 2. C. de Servitut. & l. Si quis 20. ff. Si servitus vendic.* quia in iis scientia & patientia domini locò tituli habetur, legibus illius servitutem, cum prohibere posset, longo tempore permittentis tolerantiam pro consensu habentibus, Haunol. *Tract. cit. n. 225.*

In extraordinariis autem, hoc est, 75. 30. vel 40. longissimi temporis & multò magis in centum annorum, etiam contra Ecclesias currentibus, præscriptionibus titulum allegare & probare regulariter, *l. Sicut 3. l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. & §. Possess. cit.* & in immemoriali nunquam est necesse, sed sufficit, quòd possessio toto ejusmodi tempore bonâ fide sit continuata; quia ipsa tantum temporis cum bona fide conjuncta possessio fundat præsumptionem tituli; & si immemoralis est, vim Privilegii à Principe concessi & optimi juris habet, Pa-normit, in *c. De quar. a. 4. n. 14. & 26.*

Dynus in *Reg. Possessor* 2. in 6. à n. 26. Balbus *cit.* q. 6. n. 9. & 12. & Covarruvias *l. cit.* n. 12.

76. Regulariter, inquam; quia casu, quò præscribenti Jus commune resistit; aut alia adversus eum præsumptio est, 40. aut etiam centum annorum cum bona fide conjuncta possessio non sufficit: sed necessaria insuper est allegatio & probatio tituli colorati, aut existimati, qui possessori tribuat causam præscribendi: vel possessio tanti temporis, cujus initii memoria non existit, per textum *c. 1. cit. in 4.* sic enim, propter Juris sibi adversantis resistantiam, Episcopus Ecclesias alienæ diocesis, & Parochus vel alius quicumque decimas ex prædiis, intra alienæ parochiæ fines sitis, contra proprium Episcopum vel Parochum non præscribunt, nisi præter quadragenarii temporis lapsum prohent titulum, vel ejusmodi Ecclesiam vel decimas possederint tantò tempore, cujus initii memoria non existit, Dynus in *Reg. cit.* n. 27. Balbus *q. cit. à n.* 11, & Covarruvias *l. cit.* n. 2. Unde

77. Dubium oritur, qualis Juris communis resistantia obstat præscriptioni quadragenariæ, titulo non munitæ. Quæ in re inter DD. satis convenit primò, non exigi, ut Jus commune resistat potentia, sive capacitati rem aliquam possidendi; quia rem, cujus possessioni Jus ita resistit, v.g. decimas à laicis, neque cum titulo quadraginta annis, neque immemoriali tempore præscribi posse, *c. Causam* 7. decimam & ratio est; quòd sine possessione præscriptio non procedat, *Reg. Sine possessione* 3. in 6. Panormit. in *c. Si diligenti* 17. n. 34. Molina *disp.* 75. n. 6. & Laiman. in *c. 1. cit.* n. 1.

78. Convenit inter plerosque secundò, non sufficere resistantiam Juris quamcunque; quia præscribenti servitorem in fundo alieno etiam resistit Jus commune, quò

omnia prædia libera esse præsumuntur, *l. Alius* 8. § 1. *Si in adibus* 9. *G. de Servitut.* & tamen ad earum præscriptionem titulus necessarius non est, *l. Si quis* 10. ff. *Si servit. vendic.* Panormit. in *c. De quarta* *cit.* 25. & Dynus in *Reg. cit.* n. 31. sed necessaria est resistantia Juris, rei possessio, nem cum vehementi edicto vetante prohibentis, sive, ut Jure, spectatò res pertinet, non debeat ad possessorem: sed ad alium, cui eam competere Jus non tantum simpliciter præsumit sed positive attribuit; ut eam ad extraneum, sive alium nolit pertinere; ac proinde ex ejus dispositione exurgat præsumptio male fidei in extraneo possessore titulum non exhibentis: sicut extraneis clericis Jus commune resistit quoad jus percipiendi decimas ex prædiis, intra alienæ parochiæ fines sitis, provenientes, aut parochianis quoad immunitatem ab iis solvendis, & Episcopo quoad Ecclesias, intra alienæ diocesis territorium sitas, aut istis quoad exemptionem ab Episcopi Jurisdictione ut rem hanc cum Covarruvia *Lib. 1. var. cap.* 7. n. 7. explicant *citr.* Molina *disp.* 77. n. 4. & Rath. *cap.* 3. n. 33.

Dissentiunt autem, an, ut ultra quadragenariam possessionem titulus exigatur, necessarium sit: ut Jus commune non solum resistat possessori, sed etiam assilstat adversario, sive ei, contra quem præscribitur; id enim necessarium esse, cum Panormit. in *c. Si diligenti* *cit.* n. 35. Eolino *ibid.* n. 7. Franco in *c. 1. cit.* n. 7. Covarruvia *cap. cit.* n. 6. & aliis negant Barbosa in *c. cit.* n. 9. propter textum *c. 1. cit.* in præscribente, *Ubi est ei Jus commune contrarium*, titulum vel immemorialis temporis possessionem exigentis generaliter, & sine ulla mentione assilstantia ejusdem Juris, adversario faventis.

Sed magis semper placuit doctrina Gloffiæ in *c. cit.* *V. Titulum*, Joan. Andr. *ibid.*

ibid. Alexand. de Nevo in c. Si diligenti cit. n. 53. Laiman. in c. 1. cit. n. 2. & Eirrhing ad hanc Rubric. num. 88. ultra quadraginta annorum lapsum titulum eò solum casu exigentium, quò Jus commune, sicut resistit possessori, ita ejus adversario, sive ei, contra quem præscribitur, assistit, Unde secundum hos DD. una Ecclesia vel Monasterium contra Ecclesiam vel Monasterium aliud decimas, intra Parochiæ neutri subjectæ fines provenientes, quadraginta annis sine allegatione vel probatione tituli præscribit. Ratio est; quia, si Jus commune præscribentis adversario, sive ei, contra quem currit præscriptio, non assistat, quoad hunc possessori seu præscribenti Jus non resistit; ac proinde quoad eum non fundat malæ fidei aut ignorantæ præsumptionem: propter quam titulus aut immemorialis possessio exigitur in præscribente. Confirmatur; quia, cum præscribentis adversario Jus commune non assistit, intentionem suam in Jure communi, & ex hoc orta præsumptione fundatam neuter habet; ac proinde melior est conditio possidentis: & in hoc, ultra quadragenariam & bona fide continuatam possessionem, etiam titulum exigendi specialis ratio non apparet.

ARTICULUS V.

De Tempore, requisito ad Præscriptionem rerum Corporalium.

SUMMARIUM.

81. Hoc varium est pro rerum & personarum varietate.
82. Res mobiles triennio contra quoscunque, etiam contra Ecclesias, saltem inferiores:
83. Imò contra Romanam:
84. Immobiles inter privatos presentes 10. inter absentes 20. annis cum titulo,
85. Sine isto 30. annis præscribuntur.
86. Duo absentia uni presentia anno æquivalent,
87. Saltem cum præscriptio contra absentem,
88. Imò & cum contra reversum ac presentem compleatur.
89. Eadem res 100. annis præscribuntur contra Ecclesiam Romanam:
90. Cujus privilegium quoad exemptionem,
91. Non est jam quoad alia bona, exemptionis prædest.
92. Quoad easdem res Ecclesia inferiorum res quadragenariis,
93. Etiam contra alias Ecclesias:
94. Et quedam longiori præscriptione defenduntur:
95. Nisi rei præscriptio à privato fuerit inchoata.
96. Centum annis defenduntur civitates, pagi, Regna &c.
97. Non tamen quoad omnia bona.
98. Principi in summa potestate signum competentia,
99. Ejusque dignitati reservata nunquam præscribuntur:
100. Nisi ista aliis soleant communicari.
101. Bona vacantia aliter contra Seculares.
102. Aliter contra Ecclesiasticum fiscum præscribuntur.
103. Cum Jus resistit, exigitur possessio quadragenaria cum titulo.
104. Vel immemorialis:
105. Quæ à centenaria possessione defert,
106. Et plus, quàm ista requirit.
107. Alia etiam est probatio centum annorum,
108. Et alia immemorialis:
109. Quæ illà nequaquam est minor.

P P P 3

Quartum

81. **Q**uartum Præscriptionis requisitum est legitimum Tempus possessionis, sine interruptione continuata, *l. Usucapio 3. ff. de Usurp. & Usucap.* quod varium est pro varietate rerum: & eorum etiam, contra quos præscriptio currit: & quadrifariam distingui potest, in Breve, cuiusmodi est quodcunque decenniū minus: Longum decem inter præsentēs & viginti annorum inter absentes: Longissimum triginta, quadraginta, aut sexaginta, vel etiam centum annorum, & Immemoriale sive, cuius in iūri memoria non existit. In particulari

82. Primò, res mobiles, ut sunt pecuniæ, vestes, gemmæ, annuli, torques; vasa, animalia &c. quancunque pretii, dummodo furtivæ non sint, cum titulo trienniū præscribuntur, *l. Unica C. de Usucap. transform. & pr. Instit. de Usucap. sine titulo autem triginta annis, arg. l. Sicut 3. & l. Si quis 8. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* Ratio autem, cur præscriptioni illarum, quantumvis facilius, quàm res immobiles occultentur, angustius, quàm his tempus legibus definitum sit, est; quòd mobilium amissione dominis plerumque minùs præiudicium inferatur: & quando bona fide possidentur, non facile soleant occultari: quando verò possidentur mala, præscriptioni obnoxia non sint.

Eòdem temporis spatio res mobiles etiam pretiosissimæ præscribuntur contra Ecclesias, saltem inferiores, cæteraque loca sacra & religiosa, *Aurb. Quas actiones, C. de SS. Eccles.* quæ illis quadragenariæ præscriptionis privilegium sic stabilitur, ut *usucapio trienniū & quadrienniū præscriptio in suo robore durare* permittatur. Hanc autem Authenticam, quantumvis Imperialis Constitutio sit, ab Ecclesia receptam & approba-

tam, patet ex *can. fin. ibi, Veneranda leges Romane &c. 16. q. 3.* & sacrorum Tribunalium, ejus allegationem non minùs, quàm prophana admittentium, assiduò usu; ut proinde à Gratiano quædam Ecclesiasticus aliquis Canon in Decreto post *can. Jubemus 16. §. De Præscriptionibus cit. q. 3.* jure optimo sit relata. Unde

Dubium & controversia nascitur, an res mobiles trienniū præscribantur etiam contra Ecclesiam Romanam. Eas enim contra hanc non nisi centum annis præscribi, cum Panorm. in *c. Cum dilectis 4. de Confirmat. usil. n. 12.* & Sylvestro *V. Præscriptio 1. n. 7.* tenent Balbus de *Præscript. p. 5. pr. p. 1. num. 23.* Covarruvias in *Reg. Possessor p. 2. num. 5.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 6. num. 21.* & Arnold. Rath. de *Usucap. cap. 5. n. 15.* propter textus *c. Ad audientiam 13. & c. Cum nobis 14.* quibus centenariæ præscriptionis privilegium Romane Ecclesiæ generaliter & sine ulla inter res distinctione adstruitur ac stabilitur,

Sed veritas, contra hanc quoque res mobiles trienniū lapsu præscribi, in suis *Tract. de J. & J.* defendunt Molina *Tract. 2. disp. 68. n. 4.* Lugo *disp. 7. n. 69.* & Haunold, *Tomo 1. Tract. 5. n. 28.* quos præter alios secutus est Barboza in *c. Cum nobis cit. n. 3.* Ratio, quam reddunt, unica, sed satis firma est; quòd *c. Ad audientiam &c. Cum nobis cit.* textus, et si generaliter loquantur, clarè tamen referantur ad LL. Civiles, à quibus hoc privilegium originem ducit, scilicet ad *Aurb. Quas actiones cit. Aurb.* autem ista centenariam præscriptionem Romane Ecclesiæ concedens, si bene ponderetur, spectet solas actiones; quæ contra privatos decem, viginti, aut triginta, contra Ecclesias inferiores 40. annorum præscriptione excluduntur; quod in iohis immobilibus

immobilibus contingit, ut colligitur ex *Novell. 9.* ex qua *Auth. cit.* est delumpta; hæc enim solum loquitur de præscriptione temporis longissimi, quæ in solis immobilibus competeat. Unde *cc. cit.* de eadem, sive solorum immobilium præscriptione sunt exaudienda. Confirmatur quia mobilia raro centum annis perdurant. Unde, si minori temporis spatium non præscriberentur, raro & vix inquam contra Ecclesiam Romanam possent præscribi. Quæ fortassis ratio est, cur *Auth. cit.* inserta sint verba, *Usucapione triennii & quadriennii præscriptione in suo robore durantibus.*

84. Secundò, res immobiles, ut prædia, domus, fundi &c. cum titulo inter privatos præsentem decem, inter absentes viginti, *l. Unica cit. & pr. Inst. de Usucap. sine titulo autem triginta annis præscribuntur, c. fin. C. de Præscript. long. temp. l. Si quis 8. §. 1. junctâ Glosâ, V. Tenuerit, C. de Præscript. 30. vel 40. annor. c. Sanctorum 9. hinc & can. Placuit 15. §. Præscriptionum, 16. q. 3.* absentibus autem longius tempus, quàm præsentibus, indulgendi ratio fuit; quòd major negligentia sit eorum, qui præsentem non curant, nec revocant res suas; cum præsentem rebus suis adesse, easque à possessore citius & facilius, quàm absentes, valeant revocare, *Perez in C. de Præscript. long. temp. n. 10. & Harprecht in pr. cit. num. 131.*

Præsentem autem hoc locò rei possessor & dominus, sive is qui, & is, contra quem præscribit, censetur, si in eadem, v.g. Bavaria: absentes, si in diversis provinciis v.g. unus in Bavaria, alter in Austria, Tyroli, Palatinatu &c. commorentur, *l. fin. cit.* Jure Bavarico pro præsentibus die im Landt: die auffer Landts pro absentibus habentur. *cit. Molina disp. 69. n. 2. Rath. cap. 5. cit.*

num. 24. & Manzius in pr. cit. num. 83.

Casu autem, quò is, contra quem præscribitur, partim præsentem, partim absens est, unum præsentem duobus absentem annis æquivalere; ac proinde, si quinquenniò solum præsentem sit, ad complendam præscriptionem ultra illud decem annorum spatium decurrendum, traditur *Auth. Si quis, C. de Præscript. long. temp. cujus ex Novella 119. cap. 8. de sumptæ tenor est, Quod si quis quibusdam annis præsentem sit, quibusdam absentem, adjiciuntur ei supra decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absentem.* Ubi

Dubium & inter duos clari nominis 87.

Jurium Doctoros agitata controversia est de casu, quò is, contra quem præscriptio currit, ejus inchoatæ tempore præsentem, postea absens, & demum ante completos annos reversus & iterum præsentem est: sicut accidit, cum Titius post 6. annos præsentem, quatuor annis absens, iisque exactis reversus fuit; hoc enim casu, ut præscriptio legitime completa dici possit, à reverso, sive iterum præsentem, quatuor integris annis possessionem continuandam, Doctorum illorum alter voluit, & secutus est Cujacium *in l. fin. cit. Perez n. 11. & Philip. Richter in Auth. cit.* ubi adversus eum, qui post præsentem quinquenniò totidem annis absens fuit, reversum, & iterum præsentem, ad complendam præscriptionem novum præsentem quinquenniò requirit; quòd *Auth. & cap. 8. cit.* Imperialibus Constitutionibus à tali tot annos supra decennium adjiciendos statuitur, quot annis absens fuit; ac proinde ab eo, qui post sex annos præsentem quatuor annis absens fuit, quatuor alii anni sunt adjiciendi.

Sed iste, *Auth. & cap. 8. cit.* intelletus & præsentem absentemque annorum computatio displicere semper visa est *TT.* hac in

hac in re cum Sylvestro V. *Præscriptio 1. 9. 7. & Lessio Lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 23.* Regulæ instar statutibus, duos absentia uni præsentia anno generaliter æquivalere; & propterea præscriptionem adversus dominum, qui post octo præsentia & duos absentia annos reversus est, unò : adversus eum, qui post sex præsentia & quatuor absentia annos reversus est, duobus annis compleri : & nequaquam opus esse, ut priori duobus, posteriori autem casu quatuor adhuc annis rei possessio continuetur. Cui TT. sententia eò libentiùs subscribo ; quòd eam cum Azone in *Rubric. C. de Præscript. longi temp. Jordano Lucubrat. Lib. 14. Tit. 24. n. 339. Barbosa in l. Sicut 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. num. 183. Antonell. de Temp. Legali Lib. 2. cap. 67. n. 2. & 3.* & aliis subtili suo calculò approbàrit, imò vindicàrit Magnificus D. Collega Dominic. Bassus *Justinian. decis. 46. n. 9.* quia, ut hic Doctor probè advertit, si adversus eum, qui post sex præsentia & quatuor absentia annos reversus est, non duo : & adversus eum, qui post quatuor præsentia & sex absentia annos rediit, non tres duntaxat : sed priori casu quatuor & posteriori sex integri anni ad præscriptionem complendam exigentur, priori quatuor & posteriori casu sex integri anni omnino subducerentur, & præscriptio priori quatuor, posteriori verò casu sex annis suspenderetur ac dormitaret. Imò, sequeretur, quòd post quinque præsentia & octo absentia annos reversus possessionem aliis octo : & post quatuor præsentia & novem vel decem absentia annos reversus eandem aliis novem, vel omnino decem annis ad complendam præscriptionem deberet continuare ; itaque non absentia duntaxat, sed aliquot etiam, vel penè omnes præcedentis præsentia anni

interirent, & inutiles evaderent : quas & similes sequelas à Justiniani mente alienas, & omnino absurdas laudatus D. Collega meritò censuit *n. 8.* quia *Aub. & Cap. 8. c. 11.* Imperator ab eo, qui post inchoatam præscriptionem abest, tot annos, quot abfuit, ultra decennium adidici solùm voluit, quando præscriptio in absentia completur ; cum aliis continuatione possessionis tempore absentia adversus eum, qui ante completam præscriptionem redit, præscribenti omnino inutilis redderetur : nulla autem ratio sit, cur tali casu inutilis reddita sit, quæ in absentia continuatione profuisset.

Tertiò, eadem res ac bona immobilia adversus Ecclesiam Romanam non nisi centum annis præscribuntur, *Arch. Quas actiones, c. Ad audientiam. Com nobis c. 1. c. Si diligenti 17. & c. In 6.* in cujus tamen fine excipiuntur bona hæreticorum : qui, dum viverent, Catholici putabantur ; talia enim ab eorum filii & aliis possessoribus 40. annis præscribuntur : quantumvis ad Ecclesiam Romanam pertinere debuissent. Unde

Dubium oritur, an centenaria præscriptione etiam gaudeant Ecclesie exemptæ. Affirmant Archidiaconus *in c. In c. 1.* quòd immediatè subjectæ sunt Ecclesie Romanæ ; negant Baldus *in Arch. c. 1.* & Guido *Pap. decis. 36.* quòd nulli Ecclesie Romanæ privilegio omnes exemptos gaudere, nullam sit expressum : & contrarium inde satis liqueat ; quòd istorum aliqui centenaria præscriptione specialiter sint muniti. Quorum in speciem pugnantis sententias in concordiam alii reducunt ope distinctionis ; vel enim, inquit, agitur de tollendo ipso jure exemptionis, vel de aliis rebus & juribus Ecclesiarum exemptarum. Si posterius, contra eas speciali privilegio non munitas perinde, ut contra non exemptas

emptas quadraginta annis præscribi, mox
 91. statuetur. Si prius, ut Ecclesia, Mona-
 sterium exemptum Episcopo subijciatur,
 necessaria est præscriptio centum anno-
 rum: non quidem vi privilegii ipsi Ec-
 clesie vel Monasterio competentis: sed;
 quòd contra exemptionem militans sub-
 jectiois præscriptio cedit in præjudici-
 um Ecclesie Romanæ, munitæ privilegio
 centenariæ præscriptionis: cuius interest,
 multos habere exemptos, & sibi immè-
 diatè subiectos. *Clement. Pastoralis 2. de
 Sent. & re judic.* Unde Ecclesia infe-
 rior exempta, licet non suo, Papæ tamen
 five Ecclesie Romanæ jure se tueri po-
 test contra Episcopum, ut cum Panormit.
*in c. Ad audientiam cit. num. 12. Felino
 ibid. n. 17. & aliis, Rotæ etiam Decis al-
 legatâ, docet Cochier de Jurisdic. Ord.
 in Exempt. Lib. 3. q. 12. à n. 4.*

92. Quartò, eadem res ac bona contra
 Ecclesias inferiores, Monasteria, hospi-
 talia, cæteraque sacra & religiosa loca
 præscribuntur quadraginta annis, *Auth.
 est. c. De quarta q. 5. c. Ad aures 6.* quò
 privilegio etiam gaudent ejusmodi res
 ac legata pauperibus relicta; quia his re-
 licta ejusdem conditionis sunt cum iis,
 quæ Ecclesiis relinquuntur, *l. fin. C. de
 SS. Eccles. & Novell. 131. cap. 9. Panor-
 mit. in c. De quarta cit. n. 7. & Covarru-
 vias in Reg. Possessor p. 2. §. 2. num. 3. V.
 Imò & hæc.*

Non obstat; quòd *Novell. 9.* sicut
 Romanæ, sic etiam inferioribus Ecclesiis
 centenaria præscriptio indulta sit à Justi-
 niano; quia constitutio illa quoad Eccle-
 sias inferiores ab eodem Imp. revocata
 & abrogata est *Novell. 111.* non etiam
 quoad Romanam, ut colligitur *c. Cum
 vobis cit. verbis, Tam Legali, quàm Ca-
 nonica sit definitio statutum, & ex ver-
 bis, Veneranda Leges Romana,* quæ ha-
 bentur *can. fin. 16. q. 3. Barbosa in c. Cum
 vobis cit. n. 2.*

Dubium hòc locò moveri solet, an
 quadragenariæ præscriptionis privilegiù
 Ecclesiis, Monasteriis &c. etiam compe-
 tat adve-sus alia ejusmodi loca & causas
 pias. Negant id aliqui apud Barbosam
in c. Ad aures cit. n. 3. in fine; quòd pri-
 vilegiatus privilegio suo non utatur, vel
 defendatur contra pariter privilegiatù, ut
 habet Regula desumpta ex *l. Sed & milites
 §. pr. ff. de Excusat. Tur. & l. Astidius 12.
 §. 1. in fine, C. Qui potior in pign.* Sed
 melius cum Panormit. *in c. Ad aures cit.
 n. 2. Balbo p. 1. pr. p. 5. pr. n. 4. Covar-
 ruias cit. n. 3. Tiraquell. Privileg. cau-
 sa pia 26. Barbosa l. cit. affirmat, propter
 c. Auditis 3. de in Integ. restit. c. De quar-
 ta, c. Ad aures cit.* aliorumque passim
 obviòrum textuum casus, & *c. Illud §.
 claram decisionem:* quibus allegata Re-
 gula minime adversatur, cum; quia isti lo-
 cus eò solùm casu est, quò privilegiatorù
 utriusque causa par est: quòd non acci-
 dit in casu proposito; Ecclesia enim,
 contra quam præscribitur, de damno vi-
 tando, præscribens autem de lucro cap-
 tando certat: tum verò; quòd tali ca-
 su privilegiatus cum privilegiato non
 concurrat; cum nullum privilegium con-
 cessum sit Ecclesie præscribenti: sed eò
 duntaxat, adversus quam præscriptio in-
 choatur; quia, ut Panormit. *l. cit.* ad-
 vertit, Ecclesia privilegiata est, non quo-
 ad activam, sed passivam tantùm præ-
 scriptionem; ne per hanc res suas & ju-
 ra minori, quàm quadraginta annorum,
 spatiò amittat.

Quintò, quoad easdem res & bona
 94. immobilia Monasteriâ Ordinis S. Bene-
 dicti & S. Salvatoris sexagenaria: Ordo
 Cisterciensium in Germania, uti etiam
 Ordines Mendicantes centenariâ præscri-
 ptione gaudent, ex privilegio Eugenii
 IV. Leon. X Pii IV. testibus Haunold.
*cit. Tract. 5. num. 300. & Donato Tom. 1.
 cit.*

Q 9 q

Rax. Rco

Prax. Regular. p. 1. Trañ. 12. q. 10. n. 6. & 10.

95. Casu tamen, quò res immobilis privati præsentis, postquam ab isto, titulum habente, præscribi cæpta est quinquenio, spectare cœpit ad Ecclesiam Romanâ inferiorem & speciali privilegio non munitam, ad complendam ejus præscriptionem non sufficiet aliud quinquenium; neque tamen etiam 30. sed 20. duntaxat anni requirentur. Si verò postea ad Ecclesiam Romanam, quinquaginta: & si ad Monasterium Ordinis S. Benedicti spectaret, triginta anni necessarii forent; ut, sicut inter privatos duo absentia uni præsentia, ita cum adversus privatum cœpta præscriptio contra Ecclesias currere incipit, uni anno adversus privatum currenti, contra Romanam decem, contra Ecclesias istâ inferiores quatuor & contra Monasteria Ordinis S. Benedicti currenti, sex anni æquiparentur, ut *arg. Aub. Si quis cit. cum Panormit in c. De quarta cit. num. 20.* notant *cit. Sylvester q. 7. Lessius cap. 6. n. 25. Molina disp. 27. num. 5. & Haunold. n. 302.*

96. Sextò, centenaria præscriptione munita etiam sunt Civitates quoad quæcunque bona, tam mobilia, quàm immobilia, ipsis donata, legata, aut vendita, sed nondum tradita, *l. Ut Inter 23. pr. V. Si ve itaque, C. de SS. Eccles. cujus dispositionem per Novell. 111. quoad ipsas non correctam, cum Covarruvia cit. §. 2. n. 15. & aliis censent Palao Trañ. 31. disp. Unica, p. 22. §. 12. num. 5. & Rath. cit. cap. 5. n. 40.* quòd istius Novellæ correctorio Jure de Civitatibus expressè nihil innovatum, ac proinde locus sit *arg. c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine, C. de Appellat.*

Idem Civitatum privilegium DD. passim extendunt ad Oppida & Pagos; ut

his donata, legata, aut vendita, & nondum tradita, non nisi centum annis præscribantur; & multò magis ad Provincias ac Regna; ut illæ & hæc quoad Bona Principatui, vel Regni Corona, ut vocant, incorporata centenariæ præscriptionis munimine defendantur. Hactenà adeò liberalis extensio qua ratione nitatur, non satis assequor; cum *l. Ut inter cit.* quâ à Civitatibus ad Provincias ac Regna argumentum ducitur, non generaliter de quibuscunque, sed iis duntaxat bonis loquatur, quæ civitatibus per donationem, legatum, aut fideicommissum & venditionem obvennerunt, & tradita nondum sunt. Unde, sicut, quod ex *l. cit. 27.* ad hujusmodi Provincia aut Regno debita, expeditum: ita, quod generaliter ad omnia etiam incorporata bona ducitur, infirmum est argumentum, per tradita à Cravetta *de Antiq. Temp. p. 4. §. Absolutia à n. 40. Covarruvia §. cit. n. 15. & cit. Rath. cap. 5. n. 42.* Unde

Dubium oritur, quanto ergo tempore cætera Principatûs & Regni bona juraque præscribantur. Non est autem hic sermo de Juribus Principi competentibus in signum & recognitionem supremæ potestatis; cum ista præscriptioi obnoxia non sint, *l. Comperit. 6. C. de Præscript. longi temp.* Neque etiam de Juribus, ipsi reservatis ratione Dignitatis; nam etiam adversus hæc, si inferioribus communicari non soleant, ut leges condendi, non admisa exceptione vel appellatione remota procedendi, & causas ita committendi, sententiam, quæ in rem judicatâ transit, revocandi &c. potestas, præscriptionem non procedere, ex communi aliorum sensu advertunt *cit. Molina disp. 75. num. 15. & Palao §. 14. n. 7.* Si autem aliquando, licet rarò, per viam privilegii inferioribus concedi & communicari soleant, ut vestigalia & tributa

tributa imponendi, legitimos natalibus, & infames integro statui restituendi, ætatis veniam concedendi, malefactores ultimo supplicio afficiendi &c. potestas, à vestigialibus & tributis immunitas &c. ea quidem præscribi: sed propter Juris resistentiam non possunt, nisi centum aut verius quadraginta annis cum titulo, vel tempore immemoriali, ut *arg. c. Super quibusdam 26. pr. V. Præterea, de V. S. & c. 1. hic in 6. cum Covarruvia §. cit. n. 3. Lessio cit. cap. 6. num. 14. & aliis volunt laudati Rath, num. 43. lit. A. & Palao num. 7.*

Sed de bonis, quæ Principi non Principatus, sed privatorum jure competunt: ut villæ, prædia, tam urbana, quam rustica, domus, horti, vineæ, pascua, Sylvæ, piscinæ &c. jam tradita & possessa; de tempore enim, quò hujusmodi Principum bona præscribuntur, admodum variant DD. sunt enim, qui ea centum annis, cum Molina *disp. 74. n. 4. vel quadragenario cum titulo, vel immemorialis temporis lapsu præscribi velint cum Boerio q. 264. n. 25. Verùm, quia ex l. cit. ad bona jam tradita & possessa non rectè argui, jam monuimus: & de quadragenaria ejusmodi bonorum præscriptione clarus textus in Jure non habetur, Principem quoad ea privatorum jure censerì: neque ampliori, quàm istos præscriptionis privilegio defendi, cum Baldo in l. Jam pridem 2. pr. C. Communia, de Usucap. Cravetta h. cit. n. 33. & Covarruvia §. 2. n. 15. satis probabiliter volunt *citt. Rath, num. 43. & Haunold, n. 303.**

101. Septimò, bona vacantia, sive mobilia sive immobilia sint, ex morte alicujus, sine legitimis heredibus defuncti, fisco Seculari debita, diversimodè: & quidè, si isti tradita jamque incorporata sint, non nisi quadraginta annis præscribuntur, l. Omnes

4. C. de Præscript. longi temp. Covarruvias *cit. p. 2. §. 2. num. 7. & cit. Molina, disp. 73. n. 2.* Si verò ei denunciata quidem, sed nondum tradita, vel occupata, à bonæ fidei possessore quatuor annorum spatìo, etiam sine titulo, l. 1. C. de Quædrien. præscript. & l. Inter 10. ff. de Divers. temp. præscript. *citt. Molina num. 8. & Bruneman. in l. 1. cit. n. 3.* Si ei etiam denunciata non sint, ut cætera privatorum bona, cum titulo mobilia trienniò: immobilia inter præsentès decenniò & vicenniò inter absentes: sine titulo autem tricenniò præscribuntur, l. Quamvis 18. junctâ Glosâ V. Diutina. ff. de Usucap. *citt. Covarruvias §. 2. n. 8. Molina disp. 73. an. 2. & Haunold. n. 290. & 292.*

Dixi autem; Vacantia, & Fisco Seculari. Prius; quia vacantia ob delictum, v. g. ob non solum vestigial commissâ & fisco addita bona à reo istiusque hæredibus quinquenniò præscribuntur; ut hoc elapsò actio fisci penitus extinguitur, l. Neque 2. C. de Vestigial. & commiss. Posterius; quia ad fisco Ecclesiasticum 102. delata bona, saltem immobilia, etiam si occupata, tradita & denunciata non sint, adversus Ecclesias inferiores quadraginta, & adversus Romanam centum annis præscribuntur, per textus pro quadragenaria & centenaria præscriptione allegatos, exceptò casu c. 1. in 6. Panormit in c. Cum vobis *cit. n. 9. & Haunold. cit. n. 292.* quod tamen, non contemnenda ratione motus, Molina in dubium vocat l. cit. n. 9.

Octavò, quando rem aut jus aliquod præscribenti, (sicut v. g. Episcopo jurisdictionem in Ecclesiam vel Monasterium diocesis alienæ, Ecclesiæ decimas intra fines alienæ Parochiæ, inferioribus immunitatem à tributis, vel ista aut vestigalia imponendi potestatem & cætera Principi, reservata, quæ aliquando, sed

Q 9 9 a rarò, com-

zard, communicari solent, præscribentibus) resistit Jus commune, aut alia malæ fidei præsumptio contra eum est, ad præscriptionem complendam necessaria est possessio quadraginta annorum cum titulo, aut, isto deficiente, omnino immemorialis, sive tanti temporis, cujus initii memoria non existit, ex famigerato Bonifacii VIII, c. 1. in 6. Ubi

104. Dubium & magni in praxi usûs quæstio est, quodnam tempus censeatur immemoriale. Etsi enim tale tempus & possessionem omnes vocent, cujus initium hominum memoriam excedit, juxta l. In Summa 2. §. 7. ibi *Cujus initii memoria non extat, ff. de Aqua pluvia §. 1. Hoc jure 2. §. 4. ibi, Cujus origo memoriam hominum, qui vivunt, excedit, ff. de Aqua quoid. §. est.* hominum etiam memoriam tempus & possessio excedere censetur, si excedat centum annos; quod vita hominum ultra hos annos extendi non præsumatur, l. An usus fructus

105. §. 56. ff. de Usufructu & quemad. Non tamen omnes conveniunt in ejus à centenatio discrimine; cum non desint & à Georg. Everardo Vol. 1. Consil. 8. num. 6. longo ordine referantur DD. qui immemoriale tempus & possessionem cum centenaria confundant, & illius clara probatione etiam illam censeant demonstratam.

Sed parùm solidè, cum; quia cum centenariæ possessionis probatione stare potest probatio, eam non esse immemoriam; si nimirum eam ante centum & quinque, decem vel quindecim annos fuisse penes alium, aut possessionem ante centum annos inchoatam, per instrumentum aut testes de auditu probetur: tum verò, quia ad præscriptionem etiam centenariam, quando præscribenti resistit Jus commune, aut alia vehemens malæ fidei præsumptio contra eum stat, necessarius

est titulus, quem immemorialis non existit, c. 1. in 6. cum ipsa possessio tanto tempore & bona fide continuata, habeat vim tituli & privilegii à Summo Principe concessi, §. Præterea §. 1. cit. imò eà legitimè probatà melior de mundo Titulus nequeat allegari, Glossa in c. 1. cit. V. Titulus, §. V. Nisi, Panormit. in c. Pervenit §. de Censibus n. 3. Cravetta §. Absolutis cit. n. 9. Balbus p. 2. p. 3. g. 6. num. 17. & Covarruvias cit. §. 3. num. 8.

Meliùs itaque alii ad immemoriam possessionem exigunt; ut non solum memoriam hominum, sed etiam centum annos excedat: atque insuper; ut de eius initio non constet. Secundùm quos proinde immemorialis non est possessio, cujus initium quidem ignoratur, sed tamen scitur, id ultra centum annos non extendi; quod eam, vg. ante 80. vel 50. annos, fuisse penes alium, aut penes modernum possessorem non fuisse, probetur. Neque etiam talis possessio est, quæ centum quidem annos excedere scitur, si de ejus initio vitioso, vg. quod à violenta invasione, invalida donatione &c. initium acceperit, legitimè probetur, cit. Cravetta n. 60. Molina disp. 76. n. 1. Palao §. 12. n. 9. & Pirrhing ad hanc Rubricam num. 127.

Neque tamen hinc legitimè infertur, immemoriam non esse possessionem, quam multò ante centum, puta ante ducentos, vel trecentos, aut mille annos, penes modernum non fuisse, constat; quia nihilominus immemorialis est, si eam neque centum annis esse breviorē: neque, quando inchoata sit, probetur, cit. Molina n. 3. & Pirrhing n. 128.

Dubium ulterius est de probatione possessionis immemorialis: quæ diversità est ab ea, quæ centenaria probatur.

Istius enim sive centum annorum possessio

possessionis legitima probatio habetur, quando rei possessionem à centum annis, antequam super ea lis moveretur, sine interruptione continuatam, ostenditur per instrumenta, vel per testes, jam quidem mortuos, sed quorum attestaciones ante obitum ad perpetuam rei memoriam legitime receptæ & in scriptis sunt redactæ, juxta *c. fm. pr. Ut lite non contest.* vel etiam per testes vivos, qui possessionem ante centum annos inchoatam, ex majorum relatione & fama publica à se cognitum: vel, si, quod rarissime, aliquando tamen, contingit, centum annos ipsi pluribus & saltem octo, vel decem annis exceſſerint, & de suo visu testificentur, Panormit. *in c. Cum vobis cit. n. 5.* Covarruvias §. *cit. n. 9.* & Molina *disp. 76. n. 4.*

108. Illa autem, sive possessio immemoralis, per scripturas raro & legitime non probatur: nisi ex valde antiquæ sint & possessionem hominum memoriam excedere asseverent, Antonell. *de Temp. Legali lib. 2. cap. 112. n. 5.* Plerumque autem probari consuevit per testes: quorum depositionibus ut, possessionem hominum memoriam excedere, evincatur, exigi solet Primò; ut testes, eam 40. annis penes aliquem extitisse, à se visum testificentur: & propterea à DD. requiri passim solet, ut testes tempore litis motæ 54. ætatis annum exceſſerint, ex ratione; quòd id, de quo testificantur, ipsis jam puberibus debuerit accidisse. Verùm quia, licet testis esse nequeat, qui pubes non est, *l. Testium 3. §. 5. & l. Invisi 19. §. 1. ff. de Testibus*, pubes tamen, quando Jus aliud specialiter non exigit, de iis etiam, quæ in pupillari ætate vidit, testificari potest, secundum Glossam *in §. 5. cit. V. Impuberes*, Bartol. *ibid. n. 2.* Panormit. *inc. Cum noli. cit. n. 6.* & Farinacium *Prax. Criminal. q. 58. n. 53.* in testibus, de 40. annorum possessione visu à se cognitâ, deponenti-

bus 50. aut etiam 48. ætatis annum sufficere, volunt *citt. Molina n. 4. Palao n. 10. & Pirrhing n. 129.* Secundò; ut iidem deponant, ita se semper vidisse, à majoribus suis audivisse, & contrarium, sive, possessionem penes eundem aliquando non fuisse, aut aliquando fuisse penes alium, à se nunquam visum, neque à majoribus aliquando auditum. Tertiò; ut iidem, à le ex comtuni opinione famæque & voce publicâ cognitum, asseverent. Ita DD. *citt. cum Glossa fm. in c. 1. cit. Franco ibid. n. 15. Cravetta cit. p. 4. V. Matruvia, n. 38. Balbo cit. q. 6. n. 24. Covarruvias §. cit. n. 8. Moneta de Decimis cap. 5. q. 8. n. 76. & Antonello cap. cit. n. 1.*

Neque hinc sequitur, possessionem & præscriptionem immemorabilem 109. centenariâ minorem; quòd illius probatio legitima habeatur, si testes 54. imò 48. annos excedant, & de 40. annis deponant: cujusmodi testium depositionibus possessio ac præscriptio centenaria probata non censetur; ac proinde ista major & difficilius, quàm illa, sit probationis, ut ex *citt. DD.* voluit Cravetta §. *Absolutis, à n. 2.*

Sed perperam; quia ut *citt. Covarruvias n. 10.* advertit & supra dictum est, probatione centenariæ probata non est possessio immemoralis, si centenariâ majoris possessionis initium ostendatur: & quando præscribenti Jus resistit, non sufficit centenaria; cùm tamen sufficiat possessio immemoralis. Neque aliud evincit ratio Cravettæ; quia, licet à testibus, de immemoriali possessione deponentibus, non exigatur; ut eam centam annis longiorem fuisse, expressè asseverent: de hoc tamen sufficientem fidem faciunt, si illam penes eum, pro quo deponunt, 40. annis & antè semper fuisse, cùm ex visu proprio, tum ex auditu & relatione majorum, qui idem viderunt, &

ab aliis majoribus suis audierunt, & ex fama atque existimatione publica cognitum: & contrarium neque à se, neque à majoribus suis unquam observatum, testificentur; cum in tempore possessionis, attestationibus assertò, centum anni includi præsumantur, ut rectè observat Covarruvias *l. cit.*

ARTICULUS VI.

De Tempore Præscriptionis rerum Incorporalium.

SUMMARIUM.

110. Res incorporales varia sunt.
111. Beneficium contra Rectorem olim 10. aut 20.
112. Hodie trium annorum pacificè possessione.
113. Etiam quoad ipsius titulum acquiritur:
114. Jurisdictio in Ecclesiam aliquando 40. annis sine titulo:
115. Aliquando cum isto, vel tempore immemoriali præscribitur.
116. Tam privative, quam cumulative:
117. Servili conditioni 10. aut 20. annis præscribitur.
118. Eodem tempore ordinariè servitutes mixta.
119. Et reales, diversimodè tamen, acquirantur:
120. Imò & amittuntur:
121. Non eodem tamen modo Rustica & Urbana.
122. Actiones Civiles ex contractu 30. annis tolluntur:
123. Hypothecarià,
124. Et nonnullis aliis exceptis.

125. *Censum vel pensionem annuam eligendi juri,*

126. *Et ipsis quoque censibus præteritis ac futuris,*

127. *Tanquam à jure illo dependentibus 30.*

128. *Actionibus verò ex delicto serè 20. annis:*

129. *Nonnullis breviori: alia nullo nunquam tempore:*

130. *Et specialis modò delictis successivis & connexis præscribitur.*

Res incorporales aliæ sunt Spirituales, hisque annexa: ut beneficia, officia & jurisdictio Ecclesiastica, jus decimandi, eligendi, Patronatus &c. aliæ merè Temporales sunt; ut servitutes, actiones, obligationes &c. De priorum fere alibi, exceptis beneficiis & jurisdictione: Hoc proinde locò de istorum, & posterioris generis incorporalium præscriptionibus agetur.

Primò itaque beneficia Ecclesiastica quæcunque antiquò, instar immobilium, cum titulo 10. aut 20. annis: sine titulo 30. annis, saltem contra clericum verum ejus rectorem poterant præscribi, Balbus *de Præscript. p. 1. pr. p. 5. q. 10. m. a.* Covarr. *in Reg. Possessor p. 2. §. 10. n. 9.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 70. n. 1.*

Novò autem Jure Regulæ de Triennali possessore, quæ est 37. *Cancellaria Apostolica*, beneficia illa contra quemcunque impetitorem triennio præscribuntur ab iis, qui ipsa tantò tempore, bonâ fide & cum titulo colorato, scilicet Apostolicâ vel Ordinariâ provisione, aut aliâ quacunque dispositione eorum, ad quos pertinet, sine Simoniaco ingressu possederint: dummodo in iis, si dispositioni sedis Apostolicæ ex aliqua reservatione generali, in Corpore Juris clausa, reservata sunt, se non intruserint. Ubi

Dubium

Dubium & controversia inter DD. est, an hujusmodi triennali possessione acquiratur beneficii titulus; ut possessor vi illius non solum litibus molestari nequeat, sed illud, salvâ conscientia sine ulla dispensatione valeat retinere. Hoc enim cum *cit.* Covarruvia n. 10. & Azor p. 2. *Instit. lib. 7. cap. 34. q. 16.* negat Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 33. n. 3.* partim; quod beneficium Ecclesiasticum non possit licite sine Canonica institutione obtineri, ut habet *Reg. 1. in 6.* cujusmodi institutio non est possessio triennalis: partim verò; quòd, si dicta possessio tribueret titulum, sequeretur, Episcopum in Visitatione ab ejusmodi triennali possessore non posse exigere & examinare titulum beneficii: quod est contra communem sensum DD.

113. At multò probabilius est, ab ejusmodi possessore verè acquiri Titulum; ut secundum naturam præscriptionis, non solum alterius jus omnino extinguatur, sed beneficium sine nova collatione possit retineri; quia ex una, Papæ competit plenissima potestas disponendi de beneficiis Ecclesiasticis, eaque ob bonum publicum uni adempta in alterum transferendi, *c. Licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. 1. §. fin. Ut lite pendente:* ex altera verò parte ejusmodi possessoribus titulum concedi, ferè necessarium fuit ad lites & conscientiarum scrupulos tollendos: qui ejus, de qua agimus Regulæ, videtur fuisse finis. Ita cum Rebuffo *Tit. de Pacif. possess. à n. 7.* Lud. Gomez *Reg. de Triennali possess. q. 42.* & Garcia de *Benef. p. 8. cap. 1. n. 15.* Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 29 n. 89.* & aliis novissimè Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 284.* & Pitri *ing ad hanc Rubric. n. 115.*

Unde à *Reg. 1. cit.* excipiendus est casus, quò beneficium, triennali bonæ fidei & pacificæ possessione, est præscriptum. Neque vera est sequela; quia ab

eo, qui hujusmodi possessione munitus est, exigi nihilominus potest titulus; ut constat de bona fide possessoris: & an titulum habeat coloratum, sive beneficium ab eo, ad quem pertinet, acceperit, ut rectè observat Lugo *Tract. de J. & J. disp. 7. n. 110.* qui tamen jure exigit; ut hujusmodi possessor beneficii Ecclesiastici non sit incapax: ut sunt laicus, hæreticus, spurcius & alii, laborantes defectu, sive impedimento, in quo non facile solet dispensari.

Secundò Jurisdictio, in unam, vel plures Ecclesias, aut certum territorium aliqujus diocesis, 40. annis præscribitur, *c. Auditis 15.* Qua in re tamen multum interest, an Jurisdictio illa adversus proprium diocesis Episcopum, vel adversus Prælatum eò inferiorem, aut etiam contra Episcopum extraneum præscribatur; adversus hos enim eam præscribenti, non tantum proprio, sed etiam alteri Episcopo extraneo & Prælato inferiori; quòd ipsis respectu talium Jus commune non resistat, ultra quadragenariam possessionem probatio tituli, vel istius allegatio necessaria non est, *arg. c. De quarta 4. & c. Ad aures 6. & arg. à contrario, c. 1. in 6.* Si verò eam adversus proprium diocesis Episcopum extraneum vel inferior Prælatum præscribat, 40. annis cum titulo colorato, vel immemoriali tempore continuata illius possessio probanda est, per textum *c. 1. cit.* quòd his eam præscribentibus resistat Jus commune, & istius assentiæ proprius Episcopus defendatur, *c. 1. de Pactu,* & ex quo textus iste desumptus est Concil. Carthag. *can. 12. c. Cum olim 18. pr. hic c. Constitutus 6. c. Cum venerabilis 7. de Relig. domib. & can. Omnes Basilica, 16. q. 7.* Balbus *de Præscript. p. 1. princip. p. 5. q. 11. n. 2.* & Covarruvias *in Reg. Possessor p. 2. §. & n. 3. in fine.*

An autem hujusmodi præscriptione
Juis-

Jurisdictio adversus Episcopum privativè, hoc est, eò omnino exclusò, vel cumulativè, sive, ut ea simul cum Episcopo obtineatur; ut, sicut in causis fori mixti, locus præventioni sit, præscripta censeatur, pendet ex usu seu exercitio jurisdictionis tempore currentis præscriptionis; si enim totò istius tempore eam præscribens so-

116. lus exercuit; privativè; & contra solum cumulativè eam præscripsisse censetur, si non solus ipse, sed etiam Episcopus diocæsanus jurisdictionem exercuit; quia priori privativam: posteriori verò casu solum commulativam habuit ejus possessionem: cui præscriptio commensuratur, *arg. Reg. Sine possessione 3. in 6. Ita cum Rolando Lib. 3. consil. 439. n. 11. in c. Auditis cit. Barbosa n. 5. & Gonzalez n. 9.*

Neque, ut nonnulli his opponunt, Episcopus sua Jurisdictione intra præscriptionis currentis tempus utendò hanc interrumpit, ac proinde, ut iidem inferunt, dari nequit casus, quò per viam præscriptionis jurisdictionis usu privativam duntaxat ipsius præscriptionem interrumpit: non etiam commulativam: nisi Prælatum inferiorem aut Episcopum extraneum, eà uti volentem, prohiberet, & iste acquiesceret prohibitioni, ut iidem notant cum Panormit. *in c. Auditis cit. n. 14.*

117. Tertio, est servitus personalis, sive, ut homo liber alterius servituti subjectus sit, nullò tempore valeat præscribi, *l. Usucapionem 9. ff. de Usucap. § l. fin. C. de Longi temp. præscript. pro libert. libertas tamen bona fide possessa adversus dominum 20. inter absentes, & inter præsentem 10. annis præscribitur, secundùm l. Præstat 2. C. eadem Rubric. textum, istiusque expositionem traditam à Bruneman. *num. 3.**

118. Quarto, servitutes mixtæ, quæ à re

debitæ sunt personæ, ut usus fructus, usus, habitatio, eodem, quò res immobiles; ac proinde cum titulo 10. inter præsentem, & inter absentes 20. sine titulo autem 30. annorum spatium præscribuntur, *l. § l. fin. C. de Præscript. longi temp. Molina Trañ. 2. de J. § J. disp. 70. n. 4. & Haunold, Trañ. cit. n. 315.*

Quinto, servitutes merè reales, sive rei à re debitæ quæcunque, cum titulo inter præsentem 10. inter absentes 20. annorum præscriptione acquiruntur, *l. § l. fin. cit. Gomez tom. 2. Var. cap. 15. n. 26. & Molina disp. cit. à n. 5. sine titulo autem reales servitutes eodem tempore communes præscribuntur; continuæ enim & quasi continuæ, ut aquæ ductus, suggerendi, tigni immittendi, silicidii & similes servitutes inter præsentem etiam decennium & vicennium inter absentes præscribuntur, *l. l. Si aquam 2. C. de Servitut. § l. Si quis 10. ff. Si servus vindic. Ratio est; quòd dominus, vel is, cujus interest, ius illud exerceri sciens & tantò tempore permittens, sponte concedere censetur: ipsaque ejus scientiâ & patientiâ continuata possessio locò tituli succedat, Gomez & Molina *l. cit.* Discontinuas autem, sive, quarum usus per intervalla est, ut itineris, aut actus jumenti, aut vehiculi agendi per fundum alienum, & similes servitutes, ut sine titulo præscribantur, exigunt tempus immemorabile, *per l. Servitutes 14. ff. de Servitut. vel potiùs communi DD. tenent & Tribunalium usu receptam & Jure nostro Provinciali & archiepiscopi Tit. 26. art. 4. confirmatam ejus interpretationem, Balbus de Præscript. p. 2. pr. p. 4. q. 1. n. 3. Covarruvias lib. 1. Var. cap. 17. n. 11. & Haunold, Trañ. cit. n. 311. Ratio directio sitatis inter has servitutes ea reddi solet; quòd discontinuas, eò ipsò; quòd per intervalla exercentur, à fundorum dominis, contra quos præscribuntur, non ita facile***

facile adverti, & quando inchoatæ sint, fieri possit, ut continuæ: quarum initium & continuatio, cum facile advertatur, ea facilius, quam illæ impediri possunt.

Etsi verò inter hujusmodi servitutes affirmativas v.g. tigni immittendi, stillicidii, aquæ ductus, itineris, actus; & negativas v.g. ædificium altius non tollendi, fenestram non aperiendi, quoad diurnitatem temporis, ad præscriptionem requisiti, nulla: lata tamen inter eas differentia intercedit, quoad istius inchoationem; cum affirmatarum præscriptio à die, quò quis illarum aliquâ, v.g. per actualem tigni immisionem, commearionem per fundum, aquæ ductionem &c. uti cæpit: negativarum autem ab eo primùm die inchoetur, quò servitutem præscribere volens positivè prohibet vel impedit; ne altius tollat, fenestram aperiat, aut aliud quidpiam moliat: & id moliens, prohibitioni acquiescit; quòd ista à tali primùm die incipiant possideri, Glossa in l. 1. V. Si quas, C. de Servitut. cit. Gomez n. 28. Molina n. 6. & Palao §. 13. n. 8.

120. Sextò, simili modo, etsi iisdem servitutibus eòdem tempore, scilicet inter præsentem 10. & inter absentes 20. annis præscribitur; & à non utentibus amittantur, l. fin. C. de Servitut. inter servitutes tamen Rusticas & Urbanas notabile illud discrimen est; quòd illa non-usu tollantur, etiamsi prædii servientis dominus non exerceat actum, quò v.g. vicinus servitute uti v.g. per fundum ire, volens prohibeatur: imò etiam, si hanc vicino deberi sciat, l. Hac autem 6. ff. de Servitut. Urb. præd. & dicta n. 35. Illæ autem sive Urbanæ solò non-usu ejus, cui debentur, non amittantur: sed insuper exigatur; ut is, qui servitute debet, ab eaque libertatem præscribit, bonâ fide exerceat actum, quò usum servitutis v.g. tigni immisionem impediatur, sèquæ à servitute li-

berum reddat, l. Hac autem cit. Molina disp. 66. & 70. utrobique n. 9. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 30. quòd hujusmodi servituti, sive ab ea libertatem præscribens ante prohibitionem, seu resistentiâ non constituatur in ejus quasi possessione, sine qua præscriptio non procedit, per Reg. Sine possessione 2. in 6.

Excipienda tamen est servitus realis, v.g. jus eundi per fundum: cujus usus non singulis, sed alternis tantùm diebus, vel mensibus, aut æstate tantùm competit; ad eam enim tempus duplicatum, ac proinde inter præsentem 20. anni requiruntur, l. Si sic 7. ff. Quomodo servit. amitt. §. 1. fin. C. de Servitut. quòd tamen 20. annorum spatium hujusmodi servitute etiam inter absentes præscribi, existimant cit. Molina n. 10. & Palao n. 9.

Septimò, quantumvis Actionibus 122. realibus cum titulo decem inter præsentem & inter absentes 20. annis præscribitur, l. Unica C. de Usucap. transform. & pr. Insit. de Usucap. Actionibus tamen personalibus & obligationibus Civilibus, ex contractu vel quasi, v.g. mutui, commodati, tutelæ provenientibus, adversus creditores regulariter triginta duntaxat annorum præscriptio objici potest, l. Si cut 3. C. de Præscript. 30. annor. §. 1. §. 1. C. de Annali except. ubi Interpp. & alii DD.

Excipitur tamen ab hac Regula primò Actio hypothecaria, cum aliqua tamen distinctione. Si enim res hypothecata possideatur ab ipso debitore, aut hæredibus ejus, qui eam hypothecæ subjecit, adversus creditorem præscribitur non nisi 40. annis, currentibus à die, quò debitum erat solvendum, l. Cum novissimi 7. C. de Præscript. 30. annor. Eodem temporis spatio à creditore secundo, cui res postea fuit oppignorata, adversus debitorem adhuc viventem: hoc autem mortuò 30. annis

R x r

annis

annis præscribitur, *l. cit.* Si verò res hypothecæ subjecta ab aliquo tertio, qui nec debitor, nec creditor, aut eorum alterius hæres est, bonâ fide possideatur; quòd v.g. ipsi, eam hypothecatam ignoranti, donata sit, ab eo ordinariò, hoc est, cum titulo, si mobilis, trium: si immobilis, inter præsentés 10. & inter absentes 20. sine titulo autem triginta annorum spatìo præscribitur, *l. 1. l. fin. C. Si adversus credit. l. Cum notissimi cit. Et l. Si quis 8. pr. C. de Præscript. 30. annor. cit.* Molina *disp. 69. n. 5.* Lessius *n. 36. Et 37.* & Haunold. *n. 318.*

124. Exciipiuntur secundo legata & fideicommissa: quæ adversus legatarium & fideicommissarium, non ordinario decem aut viginti, *l. Si duobus 3. §. 3. V. Sin autem avaritia, C. Communia, de Legat.* sed extraordinariò 30. annorum tempore præscribuntur, ex communi sensu DD, *cit.* Covarruvias *p. 3. cap. 3. n. 6.* & Lessius *n. 39.*

Exciipiuntur tertio actiones Revocatoria, quæ quadrienniò præscribuntur, *l. Et §. 1. ff. Qua in fraud. credit. Et §. Item ff. Instit. de Actionib. Gomez Lib. 3. Var. cap. 14. n. 5. Et cit. Farinac. q. 25. n. 164.*

Exciipiuntur quarto actiones & obligationes, quæ alias decenniò & longiori (non breviori) tempore: contra Ecclesias aliâque sacra & Religiosa loca, non nisi 40. & contra Ecclesiam Romanam centum annis præscribuntur, *Aurb. Quas actiones, junctâ Glossâ V., Durantibus, C. de SS. Eccles. cit.* Covarruvias *p. Et §. 2. à n. 5.* & Molina *disp. 71. n. 3.*

125. Dubium &, sicut in praxi utilis, sic difficilis resolutionis controversia est de actionibus annuis, ex contractu vel ultima voluntate provenientius, puta, de jure censum, vel præstationem annuam exigendi, & exhibendi obligatione, an contra privatum 30. & contra Ecclesiam vel Monasterium 40. annorum ipatiò à debi-

tore præscribantur, quoad omnes census vel præstationes, præteritas ac futuras.

Ratio dubitandi est de præteritis; quia, licet post 30. vel 40. annorù lapsum præscriptum sit censibus, aut aliis præstationibus, ante tot annos jam debitis, præscriptum tamen non videtur debitis à decem v.g. aut viginti annis proximè lapsis; cum singulorum præscriptio currere primùm incipiat à die, quò census vel præstatio debita, & ille solutus, aut ista exhibitâ non est: annuorum autem censuum & præstationum aliqui à decem, aut viginti annis primùm debiti, & non exhibitâ fuerint; ac proinde nondum lapsum sit tempus ad eorum præscriptionem jure requisitum. Confirmatur; quia debiti census & præstationes tot sunt, quot sunt anni, *l. Sin singulos 4. Et l. In singulos §. ff. de Annuis legat.* & propterea etiam tot præscriptiones; quarum non omnes eodem, sed aliis atque aliis annis singulæ inchoantur & perficiuntur. De futuris autem; quia ex una, respectu istorum debitor non est in possessione; cum libertas ab eorum debito seu obligatione possideri primùm incipiat à die cessationis à solutione & præstatione eorum jam debitorum: illorum autem debitum, ac proinde ab eorum solutione & præstatione cessatio primùm sit futura: ex altera verò parte, sine possessione præscriptio non procedat, *l. 2. ff. de Usucap. Et Reg. 3. in 6.*

Sed rationes istæ, quamcumque præteritas seferant, eâ tamen vi non possent, ut impediant, quò minus accedam Speculat. *Tit. de Emphyteusi §. 1. n. 52.* Alberici *in l. Si in singulos cit.* Menhacæ *Lib. 2. Contraverf. illust. cap. 5. 5.* & aliorum, annuis debitis & obligationibus contra privatos 30. & contra Ecclesias ac Monasteria 40. annorum cessatione præscribi, sine ulla inter legata & census ac præstationes aliâ, inter eas præteritas ac futuras differentia, statuentium communi sententiæ, quam

quam ex præcipuis Universitatis nostræ Antecessoribus calculo suo approbârunt Nicol. Everard, Senior *Confil.* 187 *in fine*, Rath. de *Usucap. cap. 4. n. 8.* & novissimè Haunold, *cit. Tract. 3. n. 358.* Moveor, non tam *l. Sicut 3. l. Omnes 4. C. de Præscript.*

227. 30. vel 40. annor. tantò tempore omnem actionem extinguì statuentium generali dispositione: quàm Canonici sanctionibus *c. De quarta 4. C. Ad aures 6.* quorum textuum priori clericus adversus Episcopum, decimationum & oblationum annuatim debitârum solutionem in iudicio petentem, quadragenariâ præscriptione se tueretur, & sine ullo inter præteritas ac futuras discrimine liberatur: posteriori quadragenariâ cessatione à solutione decimarum omnis, ac proinde tam præteritas quàm futuras illarum præstationes respiciens, actio extingui asseritur: sicut usurarum singulis annis præstandarum debitum 30. annorum lapsu ita tollitur; ut, sicut sortem, ita etiam usuras, tam præteritas, quàm futuras, exigendi actio & solvendi obligatio cesset, *l. Eas 26. C. de Usuris.* Ratio est; quia esto, anni, pro quibus census & præstationes debentur, multi & distincti sint, unum tamen idemque jus, actio & obligatio respicit omnes, ut mirum non sit, unâ præscriptione omnes tolli.

Neque aliud perluadet in contrarium allata ratio utraque; quia, cum singuli census & præstationes non debeantur nisi dependentes à jure eos exigendi & exhibendi obligatione, eò ipsò; quòd per cessationem ab eorum solutione ac præstatione debitor possidere & præscribere ceperit libertatem à jure eos exigendi, & præstandi obligatione, possidere etiam cepit libertatem à censibus & præstationibus, tam præteritis, quàm futuris, dependentibus ab illo; sive censuum & præstationum debitum ex contractu, sive

ex ultima voluntate proveniat, per textum *l. Cum notissimi cit. §. 6. cit.* annuam pensionem ex legato debitam æquiparantis ei, quæ debetur ex contractu.

Neque huic de annuorum hujusmodi debitorum præscriptione sententiæ adversatur *§. cit.* quia Justiniani, in obligationibus, *Quæ dationem per singulos annos vel menses habent, tempora præscriptionum, non ab exordio obligationis sed ab initio ejusque anni vel mensis computari, asserentis,* mens alia non fuit, quàm creditorem, qui pensiones aliquot annis percepit, lapsis ab obligationis principio triginta annis non excludi; cum utique pensiones jam solutæ non præscribantur. Computari ergo eam Imperator voluit à principio anni vel mensis, quò solutio facta non est. Non; quòd tot præscriptiones sint; quot anni & menses: sed, quòd una sit præscriptio, quæ ab anno solutionis non factæ primo initium ducat, *cit. Rath n. 4. lit. D. & Haunold n. 360.*

Minorem vim habet; quòd obligationibus in diem, ejusmodi præstationes & legata annua sunt, præscriptio ante diei adventum non currere dicatur *l. cit. §. 4.* quia hoc Jus ad obligationem annuam non spectat; nam ista, licet quoad effectum sive solutionem ac præstationem diversa, una tamen est: sicut obligatio de usuris præstandis in singulos annos, quæ omnes unica præscriptione tolluntur, *l. Eas cit.*

Octavo, obligationes & debita ex delicto, ex iisque ortæ actiones Civiles regulariter spatio 20. annorum, non à notitiæ, sed ipso criminis commissi die computandorum, præscribuntur, *l. Querelam 12. C. ad L. Cornel. de Fals.* ut hoc tempore lapsò accusationi, imò etiam inquisitioni ex officio, locus amplius non sit; quòd hujusmodi inquisitio succedat locò accusationis, e *Qualiter 24. de Accusat.* ac proinde sublatò per viam præscriptionis JURE

nis iure accusationis, etiam inquisitionis jus sublaturum censeatur; ne, quod unâ viâ & directè prohibetur, viâ aliâ & indirectè concedatur, contra Reg. Cum quid 84. in 6. Clarus §. fin. q. 51. n. 2. Balbus de Prescript. p. 4. pr. p. 4. q. 2. n. 2. cit. Gomez de Delict. cap. 1. n. 6. & Farinac. Prax. Criminal. q. 10. n. 3.

129. Exciuntur tamen imprimis, & brevioris temporis præscriptione tolluntur Actio injuriarum, quæ unius anni lapsu extinguitur, l. Si non convitij §. C. de Injuriis: Actio sive accusatio adulterii, stupri, incestus, lenocinii: quæ uti & cætera crimina obnoxia pœnæ Legis Juliæ de Adulteriiis, & crimen etiam peculatus, quinque annis præscribuntur, l. Mariti 29. §. 5. & 6. ff. ad L. Jul. de Adult. l. Peculatus 7. ff. ad L. Jul. Peculat. nisi adulterium cum incestu sit conjunctum; hujus enim criminis accusationi ut præscribatur, vicennium exigunt cit. Clarus §. Adulterium n. 20. & Haunold. n. 324.

Exciuntur deinde & per viam præscriptionis nunquam tolluntur crimina ejusdem adulterii cum violentia commissi: uti etiam stupri per vim illati, l. Mariti cit. §. fin. Parricidii, l. fin. ff. ad L. Pomp. de Parricid. Apostasiæ, l. Si quis 2. §. l. Apostatarum 4. C. de Apostat. suppositi partus, l. Qui falsum 19. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Fals. uti etiam Hæresis, læsæ Majestatis, Assassini, falsatæ monetæ, Simonia, concussionis; horum enim accusatio, saltem dum rei vivunt, perpetuò durat, Balbus cit. q. 2. n. 9. Farinac. q. cit. n. 29.

130. Circa hanc tamen Actionum Criminalium præscriptionem duo notanda sunt. Primum est; quòd v.g. in adulterio & cæteris carnalibus, aliisque delictis, tractum successivum habentibus, aut iteratis, præscriptio currere non incipiat, nisi à die commissi ultimi delicti, secundum Gloss. in l. Mariti cit. V. Commissi criminis, in fine,

Clarus §. fin. q. 51. n. 3. Farinac. q. cit. n. 16. Guazzinum Defens. Reor. 2. cap. 2. n. 35. Alterum; quòd, cum plura, præsertim inter se connexionem habentia, delicta conjuncta sunt, magis attendatur, quòd præscriptioni minus obnoxium est; & magis perpetuum ad se trahat id, quòd minus perpetuum est, per ea, quæ aliis DD. allegatis, tradunt Decianus Tract. Criminali Lib. 3. cap. 37. n. 22. & Guazzinus cit. cap. 2. n. 87.

ARTICULUS VI. De Rebus, quæ obnoxia non sunt Præscriptioni, SUMMARIUM.

131. Præscriptioni obnoxium non est Matrimonium,
132. Ordo sacer,
133. Et Professio Religiosa:
134. Liber homo, res Sacra, Religiosa & Publica:
135. Principi specialiter Reservata,
136. Et sine privilegio prohibita possessori:
137. Obedientia, Visitatio & Provocationes:
138. Jus non observandi interdita:
139. Res furtiva & vi possessa,
140. Nisi tempore extraordinariis:
141. Præscriptione Feudum introducti,
142. A Vasallo in extraneum transferri,
143. Et omnino extingui:
144. A domino directo acquiri utile dominium,
145. Non etiam hoc à Vasallo petest:
146. Nisi interversâ domini possessione,
147. Non præscribitur res sine solennitatibus,
148. Aut simpliciter prohibita alienari:
149. Nisi tempore extraordinariis.
Derrum

131. **D**Emum, ad præscriptionem requiritur; ut res non sit Vitiosa, aut prohibita præscribi. Cujusmodi præscriptioni obnoxia res, vel ex natura sua, vel ex legis aut Canonis dispositione, non sunt

Primò, Matrimonium carnale sive; ut conjuges sint, qui propter intercedens aliquod impedimentum dirimens conjuges esse Jure non possunt, *c. Non debet 8. §. fin. de Consang. & affinit. aut contrà*; ut, qui matrimonio legitime conjuncti sunt, conjuges non sint, *Glossa in c. Lator 7. V. Permanere, de Sent. & re*

132. **judic.** Uti & Sacerdotalis vel alius Ordo & cætera Sacramenta; quia Sacramenta omnia habentur ex institutione Divina: cui præscriptio, tanquam humana potestatis inventum, nequit prævalere, *Balbus de Præscript. p. 1. pr. p. 6. num. 3. & 53.*

133. **Secundò,** Matrimonium spirituale, sive Professio Religiosa ita; ut per viam præscriptionis quancunque temporis non inducatur; quantumvis enim invalidè professus, si intra quinquennium non reclamet, ob ratificationis interea factæ præsumptionem postea non audiatur & pro vero professio habeatur, ex decreto Tridentini *Sess. 29. cap. 19. de Regul. verus tamen Religionis professus sine novo consensu, ex comuni DD. sensu, nunquam evadit, arg. c. 1. de Iis, qua vi mortisve causa &c.*

Eodem modo Professio semel validè emissa per viam præscriptionis nunquam dissolvitur; ut, qui post eam in Religione, à Sede Apostolica approbata, editam Prælati obedientiæ & Regulari observantiæ se subducit, & ad seculum revertsus bona temporalia, ante professionem obtenta, vel post hanc acquisita, tanquam propria retinet, ab obligatione, ex professione orta, nunquam liberetur: ut

colligitur *ex can. Quod Deo, 33. q. 5. & c. Sicut nobis 17. de Regular.* quorum locorum priori, ejusmodi votum *Servandum*, asseritur, *perseveranter usque ad finem vita*: posteriori Innocentius III. clericum, post Religiosam professionem in seculo manentem, ad assumptionem habitus & vitæ Canonice observantiam compelli jussit, ex ratione; quòd diuturnitas temporis, quòd in seculo mansit, non in excusationem ejus, sed in majoris transgressionis augmentum allegari possit, Cujus ratio ulterior est non solum; quòd, ut paulò post ostendemus, ad versus obedientiam Prælati debitam, nequeat præscribi: sed mala fides, insuper habita votù Religione in seculo perseverantis; in malefactis enim nulla temporis diuturnitas excusat; quid enim tam ridiculum, quam meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti, existimare, sententia est *JCT. l. Insciando 67. §. 2. ff. de Furtis*, à Justiniano approbata *Novell. 138. cujus cap. 1. Malè, inquit, inventa, neque ex tempore confirmantur, Glossa fin. in c. Sicut cit. ubi Panormit. n. 3.*

Tertiò, aliæ res sacræ & religiosæ, **134.** ut templa, sacella, cæmeteria, calices & vestes sacræ, Reliquiæ, conditoria Sanctorum Cinerum &c. *l. Usucapionem 9. ff. & §. Sed aliquando 1. Instit. de Usucap.* Liber homo; ut fiat servus *l. & §. cirt. et si libertatem præscribere possit servus, l. fin. C. de Longi temp. præscript. pro libert.* Res publicæ, sive ad usum & commodum publicum deputatæ: ut viæ, plateæ & fora publica, theatra &c. *l. Usucapionem cit. & l. Præscriptio 7. C. de Operib. publ.* Ratio est; quod hujusmodi res nequeant possideri; nemo enim rem sacræ, aut religiosam verè possidere potest; quamvis Religionem contemnat & rem pro privata & sua habeat: sicut nec liberum hominem, licet eum pro suo vin-

suo vinciat, l. *Cum heredes* 23. §. *fin.* & l. *Qui universas* 30. §. 1. ff. de *Acquir. possess.* sine possessione autem præscriptio non procedat, l. 25. ff. de *Usucap.* & Reg. 3. in 6. Rath. de *Usucap.* cap. 4. n. 2. & Haunold. Tom. 1. de *J. & J. Tract.* §. n. 355.

235. Quartò, Regalia, quæ Principi reservata sunt in recognitionem supremæ potestatis seu Majestatis, l. *Comperit* 6. C. de *Præscript.* 30. annor. uti etiam fines seu limites certi Regnorum, Provinciarum, l. *fin. C. de Fund. limitroph.* Diocesium, Parochiarum, can. *Quicumque* 4. cum seqq. 19. q. 3. & c. *Super eo* 4. de *Parochiis* : de quorum prioribus actum supra n. 98. de posterioribus Lib. 3. Tit. 29. à n. 30

236. Quintò, res, quarum possessionis aliquis, vel simpliciter, vel sine privilegio capax non est, ut laici quasi possessionis Jurisdictionis spiritualis, Juris eligendi, conferendi, decimandi, ut pluribus ostenditur, Lib. 1. Tit. 6. n. 46. Tit. 29. n. 29. Lib. 2. Tit. 2. n. 98. & Lib. 3. Tit. 5. n. 40. & Tit. 30. n. 76. quòd, ut dictum, sine possessione præscriptio non procedat. Unde

Inferitur, à simplici Sacerdote præscribi etiam longissimo & immemoriali tempore non posse potestatem confirmandi, conferendi Ordines minores & cætera, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & nulli alteri, præterquam ex delegatione Papæ, competere possunt, arg. c. *Quanto* 4. de *Consuetud.* Nisi ejusmodi potestatis præscriptio constanti fama & communi persuasione privilegii Apostolici aliquando obtenti fulciatur: partim; quòd repugnet aliquid habere ex mera delegatione, & titulò præscriptionis obtinere, cum; quòd ex mera delegatione habetur, competat ex jure & voluntate aliena delegantis: quòd autem titulò præscriptionis obtinetur,

jure proprio competat; ac proinde non delegata potestas sit, ut arguit Card. de Lugo *Tract. de J. & J. disp.* 7. n. 194. partim verò; quòd simplex Sacerdos sine ejusmodi privilegio, saltem colorato, aut ex ejus aliquando obtenti fama præsumpto incapax sit potestatis Sacramenta illa conferendi; cum solus Episcopus Ordinarius minister sit Sacramentorum Confirmationis & Ordinis, ut ex traditione Ecclesiæ & Tridentini *Seff.* 7. can. 3. & *seff.* 23. can. 7. constat; incapax autem possessionis incapax etiam sit præscriptionis, l. & Reg. *Sine possessione* cit. & c. *Causam* 7. hic, Azor p. 1. *Instit. Lib.* 5. cap. 19. V. *Consuetudo*, qua præbyter & Laïman. in c. 1. de *Suppl. neglig.* n. 7.

Sextò, Obedientia & Procuraciones à visitanti debita; & ipsa etiam immunitas à visitatione; quæ à subditis adversus prælatum præscribi prohibentur, c. *Cum non liceat* 12. & c. *Cum ex Officii* 16. Ratio prohibendi fuit de Obedientia; quia illa sublatà subditi ab observantia recederent, nervus disrumperetur disciplina; & legibus evacuatis, Ecclesia Dei in nihilum redigeretur, can. *Monemus*, 18. q. 1. & c. *Cum inter* 5. de *Consuetud.* De visitatione; quia ejus præscriptione tolleretur optimum remedium reformandi Ecclesias, pravos mores corrigendi, & promovendi salutem animarum. De Procuracionibus; quia Naturale & Divinum Jus dicat, in Ecclesiæ causa laborantibus & Spiritualia ministrantibus necessariam sustentationem non subtrahendam; ne à visitationibus magnò Diocesium damno absterreantur, Pancrmit. in c. *Cum ex Officii* cit. num. 4. & Barbosa *ibid.* n. 2. & 4. quorum de Procuracionibus doctrina, an, sicut communis, sic & perpetua & indistinctè vera sit, Lib. 3. Tit. 39. à n. 99. discutiemus.

De Obedientia & Visitacione dictis non ad.

non adversatur; quod præscribi valeat Exemptio à potestate & subjectione Episcopi, c. *Cum olim*, 4. v. *Quia verò, de Privileg. & c. Cum persona* 7. eadè Rubric. in 6. quia, licet per textus istos exemptio à subjectione, & cum ista conjunctum jus visitandi & c. tolli valeant translativè, hoc est; ut obedientia Episcopo debita postea alteri debeat: tolli tamen nequit extinctivè, hoc est, ut nulli Prælato debeat, Panorm. in c. *Cum non liceat* cit. n. 15. & Gonzalez *ibid.* n. 7.

138. Septimò, Jus divina officia, alta voce & pulsatis campanis, celebrandi tempore Interdicti generalis, arg. c. *Cum inter* cit. quia etiam istius præscriptio esset iniqua, utpote tollens nervum disciplinæ Ecclesiasticæ; cùm inducat neglectum Censurarum Ecclesiasticarum, quibus quasi nervo aut frenò fideles continentur in officio, à peccatis & contumacia ad vitam bonam & obedientiam revocantur: propter quam causam c. *cit.* hujusmodi consuetudo reprobatur, Laiman. in c. *cit.* n. 2. & Palao *Tract.* 31. *disp. Unica* p. 22. §. 15. n. 1.

139. Octavò, Res furtivæ, uti & vi possessæ, vg. prædium, aut alia res immobilis, cujus possessione quis violenter est dejectus, l. *Sciens* 7. C. de *Usucap. pro empt.* & §. *Furtiva* 2. *Instit. de Usucap.* Cujus rationem DD. reddunt ipsam auctoritatem legis, ejusmodi res præscribi prohibentis. Hujus autem legalis dispositionis ratio est partim; quia furti & violentiæ vitia realia sunt, §. *Aliquando* §. *Instit. de Usucap.* vitii autem realis contagio quoslibet auctoris primi successores comitatur, l. *Vitia* 11. C. de *Acquir. poss.* cùm cohæreat rebus, ad quoscunque istæ perveniant, l. *Sciens* cit. partim verò; ut furtivæ rei ablatio & violenta invasio coerceretur: & ne ex suo vel alieno maleficio quisquam lucretur, sine

fur, sive quisvis alius, etiam bonæ fidei possessor, l. *cit.* Perez in C. de *Usucap. pro empt.* n. 4. & Manzius in §. *Furtiva* cit. à num. 4.

Quare hujusmodi res non solum à fure & violento invasore, qui malæ fidei possessores sunt, & à bonæ fidei possessore, qui ab iis rem accepit, §. *cit.* sed à mediato quoque successore quocunque, furti & violentiæ scientiam non habente, & titulo munito, tempore saltem ordinario præscribi nequeunt: donec, re ad dominum suum reversâ, itaque furti & violentiæ vitio pugratò, eam absque furtivo aut vi alius possideat, l. *Sequitur* 4. §. *9. ff. de Usucap.* & §. *Aliquando* cit. Ordinariorum, inquam; quia extraordinariò sive longissimò 30. vel 40. annorum tempore à quocunque furis, sed bonæ fidei successore præscribi ejusmodi res possunt, arg. à contrario ducto ex §. *Furtiva* cit. verbis, *Prædicto longo tempore possessæ*; quòd hujusmodi longissimi temporis possessione vitium furti aut violentiæ, quò res affecta erat, purgetur, & omnis actio extinguatur, l. *Sicut* 3. l. *Omnes* 4. C. de *Præscript.* 30. *annor.* Molina *Tract.* 2. de *J. & J. disp.* 26. n. 1. & Manzius §. *cit.* n. 9. & Pirrhing *ad hanc Rubric.* num. 14.

Nondè, præscriptioni obnoxia aliquando non sunt Feuda: de quo, ut planius constet, quinque casus distinguere juvabit. Et primò quidem ad feudum constituendum, sive, ut res allodialis in feudalem transeat, triginta annorum longissimi temporis præscriptio sufficit, & contingit, cùm quis rem alienam allodiam seu liberam, tanquam feudalem bona fide 30. & si ea Ecclesiæ sit, 40. annis possidet, & illius domino vasalli instar servitia exhibet, Feud. *Lib.* 2. *Tit.* 26. §. *Si quis per triginta* 4. ubi *l. lernia* n. 1. & in suis *Tract. de Feud.* Zasius p. 6. n. 30. *Vulticius Lib.*

teius *Lib. 1. cap. 9. n. 15. Schrader p. 5. cap. 4. n. 6. & Rosenthal. cap. 6. conclus. 77. num. 2.*

¶ 42. Secundò, eadem longissimi temporis præscriptione feudum ab uno vasallo in alium, & à verò vasallo in putativum transferri potest: & contingit, quando v.g. castrum aut prædium, à domino directo Titio ejusque hæredibus in feudum concessum, Cajus vasalli jure & bona fide 30. annis possedit & domino exhibuit servitia, debita ratione castri vel prædii feudalis; eò enim tempore lapsò Cajus verus vasallus evadit; ut non solum Titius cum hæredibus suis castri aut prædii utile dominium amittat, sed Cajum tanquam vasallum locò Titii agnoscere & habere dominus quoque directus, etiam invitus, teneatur, Panormit. *in c. Ad audientiam 13. n. 14. Clarus §. Feudum, q. 45. n. 3. cit. Schrader. cap. 5. num. 9. & Rosenthal. cap. 9. conclus. 97. n. 8.*

Neque tricennali hac præscriptione dominum ad Cajum, Titii à se investiti vasalli locò, recognoscendum non adstringi, evincunt ejusdem *Lib. 2. Tit. 40. V. Præterea, & Tit. 55. cujus pr. nullius temporis præscriptio domino obstare asseritur: obstaret autem, si loco pristini novum, & fortassis minus acceptum, & quem habere non expediret, vasallum recognoscere invitus cogeretur. Qua ratione & §. ac pr. cit. textibus permoti DD. non pauci tricennali, præscriptione adversus vasallum currente, dominum directum eò solum casu affici volunt, quò feudum per viam alienationis ad Cajum translatum scivit: non etiam, quò id ignoravit. Sed, etsi hæc Opinio æquitati satis consentanea sit, præscriptione tamen illà dominum non affici, neque textus, neque ratio evincit. Textus; quia uterque exaudiendus est de casu, quò rei feudalis non utile duntaxat adversus*

vasallum, sed directum quoque dominum præscribitur adversus ipsum dominum, ut iste omnino excludatur; cum hoc solum casu dominus amittat debita servitia, Imperii attenuentur vires, & honor minuatur: quibus incommodis ut obviaretur, & plenius provideretur Imperii utilitati, feudi alienatio severè inhibita & malè alienati præscriptio sublata est §. & pr. cit. Ratio verò; quia incommodum illud, quòd pristino alius, & fortè minus gratus, vasallus subrogatur, tanti non est; ut propterea etiam tricennalis longissimi temporis præscriptio excludatur, præsertim cum, servitio manente rei feudalis dominio directò, servitia integra ipsi exhibeantur, ut probè advertit *cit. Rosenthal. n. 93.*

Tertiò, quin ipsum etiam rei feudalis dominium directum ab extraneo, v.g. à Cajo, in quem illa à Titio translata est, 30. annorum spatio præscribi & feudum extingui, si illa toto hoc tempore tanquam allodialis sit possessa, cum Glesia in §. Præterea *cit. V. Præscriptio, Baldo ibid. num. 4. Alex. de Nevo in c. Ad audientiam cit. num. 52. & 57. sicut Balbus de Præscript. p. 4. pr. p. 4. q. 12. n. 9. & 12. Gaill. Lib. 2. observat. 110. n. 12. Rosenthal. Conclus. cit. num. 19. & apud hunc in Notis lit. b. communis Feudistarum aliorum, id desumentium ex §. Si quis per triginta *cit.* non obstantibus §. Præterea & pr. cit. verbis, Nulla præscriptione obstante, & Nullius temporis præscriptione impediente; quia, his ordinariam duntaxat 10. inter præsentem, & inter absentes 20. non extraordinariam 30. vel 40. annorum præscriptionem removeri, volunt; quòd, cum Juris correctio restringenda potius, quam extendenda sit, verisimile non sit, Conradum & Fridericum Impp. §. & pr. cit. ejusmodi verò*

di verborum generalitate, etiam 30. & 40. annorum extraordinariæ præscriptionis, multis vigiliis excogitatum & inventum Jus verbò unò subvertere voluisse præfertim; cum expressè non deroget longissimi temporis præscriptioni, tollenti omnem actionem, l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. & 40. annor. quæ specialiter excepta non reperitur.

Neque, ut aliqui arguunt, hæc expositione *pr. cit.* dispositio otiosa evadit; quòd 10. & 20. annorum præscriptio remota jam fuerit §. *cit.* quia, ut apud *cit.* Rosenthal. *in Notis lit.* 1. alii observant, illa propter hoc otiosa non evadit; cum feudorum alienationes ac præscriptiones antè quidem à Lothario & Conrado Imp. prohibita: sed ex præscriptiones insuper habitæ sint; & propterea à Friderico lata & *pr. cit.* relata Constitutionis severitate in usum sint revocata. Quod, etsi verisimilitudine non careat, satis tamen probabiliter contrarium, §. *ac pr. cit.* etiam 30. & 40. annorum præscriptiones sublatas; ac proinde rei feudalis dominium directum adversus istius dominum centum duntaxat annis vel immemoriali tempore præscribi, docent alii apud *cit.* Rosenthal. n. 12.

144. Quartò, domini utilis cum directo consolidationem & feudi extinctionem dominus directus adversus vasallum præscribit, si v.g. isto sine hæredibus mortuò, primi acquirentis lineam extinctam, bonâ fide credens, id tanquam rem allodialem 30. annorum spatîo pacificè possideat, arg. §. *Si quis per triginta cit. ubi Baldus n. 11. Zahus de Feud. p. 6. n. 33. cit.* Vultei cap. 9. n. 17. & Rosenthal. *Conclus.* 83. n. 2.

145. Quintò, rei feudalis proprietatem sive domini ejus directum adversus dominum vasallum nullo tempore præscribit, propter defectum possessionis; vasallus enim rei feu-

dalis dominium non possidet; cum non sibi possideat, sed domino: & ad servitia isti requirenti exhibenda sit obligatus: ab eaque obligatione non liberetur, quantumvis servitia dominus, quòd iis opus non habeat, centum, aut mille annis non requirat, *cit.* Vultei cap. 9. num. 18. Schrader p. 6. cap. 6. n. 62. & Rosenthal. cap. 6. *Conclus.* 82. n. 1. Nisi tamen vasallus domino possessionem interverterit, v.g. domino pro juramento, aut servitiis interpellanti, ea non præstando aut feudi jus aliò modò negandò, vel castrum aut prædium, quòd possidet, allodiale & proprium, non feudale, asserendò; talibus enim actibus vasallus constituitur in quasi possessione libertatis ab onere seu obligatione feudali; ut, si rem ab eo tempore 30. annis bonâ fide possideat, ejus libertatem & plenum dominium præscribat, *cit.* Schraderus n. 62. & Rosenthal. n. 15. hæcenus dicta latè declarantes.

147. Decimò, Res, quæ sine certis solennitatibus nequeunt alienari; sic enim juxta dicta res Ecclesiarum non nisi quadragenariæ sexagenariæ: res pupillorum, quamdiu ætas pupillaris durat, ulli præscriptioni obnoxia non sunt: res autem minorum, quocunque etiam titulo possessæ, non ordinario, sed longissimo duntaxat 30. vel 40. annorù spatîo præscribuntur, l. *Non est 3. C. Quibus non obije. longi &c. & l. fin. C. In quibus causis in integ. restit. cit.* Molina *disp.* 79. n. 9. & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 366.*

148. Multò magis, quàm istæ præscribi nequeunt res & bona, quæ alienari omnino prohibentur: ut fundus dotalis, res Majoratùs aut primogenituræ vinculo alligatæ, aut sub fideicommissò relictae, cum aliqua tamen distinctione; si enim ejusmodi res, antequam ad eum statum devenirent, præscribi cœpissent, ipsæ, uti

Ss s

& aliæ

& alia res præscribi cœptæ, eodem tempore, quò alia res præscriberentur, per text. aut arg. l. *Si fundum* 16. ff. de *Fundo dotali*, Panormit. in c. *Cum non liceat* 12. n. 7. Molina disp. cit. num. 9. V. *Quoad res.* & Bruneman. in l. *Si fundum* cit. n. 2. Si verò, antequam ad hunc statum pervenirent, præscriptio inchoata non fuit, præscribi ex communi sententia saltem possunt tempore, cujus initii memoria non existit; quia hujusmodi præscriptio habet vim tituli, & fundat præsumptionem, intervenisse facultatem alienandi, ab ipso Principe indultam, ut cum altero Molina JCT.º *Lib. 4. de Primogen. cap. 10. n. 10.* advertit idem Molina Theologus num. 9. §. *Conversians* & Palao cit. §. 15. n. 5.

149. Imò eas, quantumvis non ordinariò decem aut viginti etiam cum titulo, l. §. *fin. V. Sin autem avaritia, C. Commun. de Legat.* extraordinariò tamen 30, vel 40. annorum tempore, non solum adversus possessorem & alienantem, sed etiam adversus successores quoscunque & familiam ipsam præscribi, plurium DD. Opinio est: quam satis probabilem cum Covarruvia in *Reg. Possessor p. 3. §. 3. n. 6.* censet Card. de Lugo cit. disp. 7. n. 146. Contrarium tamen, sive ejusmodi res & bona quæcunque longissimi & immemoriali minoris temporis spatii non præscribi, non minùs probabiliter defendunt cit. Molina n. 9. & 10. Fachineus *Lib. 7. cap. 12.* & Palao cit. §. 15. n. 3.

De Præscriptionis Suspensione & Interruptione.

SUMMARIUM.

150. Præscriptio inchoatur à die capta possessionis.

151. Inchoata aliquando suspenditur,
152. Ob notorium & generale agendi impedimentum:
153. Aliquando omnino interruptur:
154. Vel naturaliter, deficiente aliquo ejus requisito,
155. Vel civiliter, intercedente alio judiciali.
156. Triennalis, sententiâ:
157. Longi, litis contestatione:
158. Longissimi temporis præscriptio, tatione, imò denuntiatione,
159. Et aliquando, libello judicis peracto, interruptitur:
160. Nisi actor succumbat.

Præscriptio inchoatur seu currere incipit à die, quò res ei obnoxia bona fide & iusto titulo, quando Jura hunc exigunt, incipit possideri: & completur præscripti temporis die ultimo, arg. l. *In omnibus ff. de O & A.* cum enim suum domino auferat &, quantumvis iusta sit, speciem tamen quandam iniquitatis referat, turquam odiosa, domini, qui de damno vitando certat, favore retardanda potius est, quam in præscribentis, luctum captantis, gratiam acceleranda, Hellig. in *Donell. Lib. 5. cap. 19. lit. d.* & Jordanus *Lib. 10. Lucubrat. Tit. 29. n. 89.*

Semel cœptæ præscriptionis cursus duobus modis: & aliquando quidem ita impeditur; ut propter intercedens illius impedimentum solummodo suspendatur, sive tempore aliquo quiescat & quasi dormiat: illo verò cessante iterum reviviscat & procedat. Contingit hoc toto tempore durantis ætatis pupillaris petitionæ, contra quam res præscribitur, l. *Sicut 3. C. de Præscript. 30. annor. & Auth. Nisi C. de Bonis maternis*: toto tempore quò Ecclesia Monasterium &c. vacat aut propter

propter Prælati captivitatem, exilium, &c. caret legitimo defensore, *c. De quarta 4. ibi. Nisi forte interim pastoralis sedes caruisset pastore, qui jura Ecclesie sue exigere debuisset c. 1. & c. fin. De Sede vac. &* quò vivit prælatus, cujus res malè alienantis factò Ecclesia est læsa, *can. Si Sacerdotes, 16. q. 3. tempore hostilitatis & sævientis belli c. Ex transmissa cit. n. 7. Molina Tract. 2. disp. 78. n. 9.*

Ratio, cur his casibus præscriptio suspensa non currat, ea reddi solet; quòd, impedimentis illis durantibus, is, contra quem præscribitur, pro rebus ac juribus suis conservandis & recuperandis agere non valeat. Quæ ratio non, ut videri

152. commodatur: sed eos duntaxat adversus præscriptionis cursum tuetur, quibus, quò minus agant, Juris aut etiam facti, non cujuscunque, sed generalis, sive communis & notorii atque omnibus patentis impedimentum obstat. Uude præscriptioni istiusque cursui obnoxia sunt res, & jura ex necessaria & publica etiam causa absentium, Ecclesiarum & Monasteriorum, habentium Prælatos, in administratione, rerumque ad ipsa pertinentium defensione ac recuperatione negligentes; cum enim talium agere volentium impedimenta, non ita notoria, nec generalia seu communia sint, præscriptionum contra illa inchoatarum cursum non sistunt; ut pro rerum, Prælati in administratione negligentia vel culpà amissarum, recuperatione ad in integrum restitutionis beneficium recurrere sit opus, Gonzalez *in c. Ex transmissa cit. n. 2. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 132. secuti Barbosa in c. cit. num. 4. & de Offic. Episc. alleg. 132. num. 16.*

Licet autem relatorum Juris aut facti notorii ac generalis impedimentorum durantium tempore toto præscri-

ptio non currat, sed planè quiescat ac dormiat, tempus tamen id antecedens conjungitur cum subsequente; ut, qui rem alienam immobilem privati præsentis, antequam ad pupillum perveniret, bona fide & justo titulo sex annis, aut ejusmodi rem Ecclesie, antequam ista vacaret, 20. annis possedit, pupillari ætate cessante, quatuor duntaxat: & Ecclesie Prælatò confirmatò, 20. annis opus habeat ad ejus præscriptionem legitime complendam, Molina *disp. cit. n. 1. & Haunold. Tom. 1. de J. & J. Tract. 6. n. 349.*

153. Aliquando verò Præscriptionis cursus ita impeditur; ut omnino interrumpatur, & tempus possessionis, impedimentum antecedens, isto cessante, non proffit, neque ad præscriptionem complendam cum subsequente valeat conjungi: sed ista de novo debeat inchoari: ut colligitur ex *c. Illud cit. ibi. Si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit.* Interrumpi autem præscriptio potest, vel Naturaliter, vel Civiliter, secundùm Glosam *in c. cit. V. Interruptio, & Panorm. ibi n. 6.*

154. Naturaliter interrumpitur, quando post eam ritè inchoatam deficit aliquid ex ejus requisitis, scilicet possessio, aut bona fides, vel titulus resolvitur: v.g. si, qui juris eligendi præscriptionem inchoavit, ab electione semel exclusus acquiescat, itaque excidat ejus juris quasi possessione: vel, qui prædium alienum bonà fide possidere cœpit, scientiam rei alienæ, ac proinde malam fidem incipiat habere; tales enim, si rei possessionem semel amissam recuperent, aut eorum malà fidei denuo superveniat bona, præscriptionem à novæ possessionis, vel bonæ fidei redeuntis tempore iterum debent inchoare, Covarruvias *in Reg. Possessor p. 2. §. 12. n. 12. Molina disp. cit. num. 10. & Pirrhing l. cit. n. 133.*

S s s a

Civili-

155.

Civiliter autem interruptio fit, quando re ipsa quidem nullum ejus requisitum deficit, fictione tamen & auctoritate Juris perinde habetur, ac si deficiat, propter interventum alicujus actus judicialis: puta, sententiæ definitivæ, litis contestationis coram iudice competente, & in quibusdam casibus citationis, imò aliquando solius denuntiationis extrajudicialis, subscriptione tabellionis, vel trium testium munitæ. *l. Ut perfectius a. C. de Annual. except.* Qua in re tamen opus est distinctione inter præscriptionem triennalem & longiores.

156.

Triennalis enim, v.g. rei mobilis emptæ & usucapi jam cœptæ, præscriptio non solum tali denuntiatione ac citatione, sed ipsâ etiam litis contestatione non interrumpitur: sed procedit, & triennid, dum lis pendet, lapsò compleitur, *l. Pro emptore 25. §. fin. ff. Pro emptore*, ita tamen; ut, licet, actore litem cœptam non prosequente, usucapio propter litem interrupta aut protracta non sit, casu tamen, quò ista, durante lite, perficitur & possessor postea condemnatur, rem ei, pro quò pronuntiatum est, restituere teneatur, *l. Si post 18. ff. de R. V.* quòd tali casu usucapio pro justa acquisitione non habeatur, ut post Covarruviam in *Reg. Possessor p. 2. §. 12. n. 4.* Molinam *cit. disp. 68. n. 12.* & Donelum *Comment. Lib. 20. cap. 6.* notat Bruneman, in *l. Si post cit. n. 1.* & Haunold. *cit. Traët. 5. n. 336.*

157.

Longiores præscriptiones, saltem decennalis & vicennalis cum titulò, litis contestatione, corâ iudice competente, nõ solâ citatione, interrumpuntur, *l. Mora 26. C. de R. V.* Unde is, cui super prædio alieno, novem annis bonâ fide & iustò titulò possessio, movetur, ejus præscriptionem perficit: quantumvis, lite adhuc pendente, possessionis decennium

compleatur, Bruneman, in *l. cit. num. 2.* dummodo litis contestatio eam prolequendi animò sit facta; si enim ex circumstantiis appareret, litem ab actore præscriptionis tantum interrumpendæ & non in iudicio perseverandi animò motam & contestatam, sicut fieri præsumetur, si lis, nullò impedimentò, vel iustâ causâ exigente, desereretur, ejus contestatione præscriptio non interrumpetur, ut desumitur ex *l. fin. C. de Præscript. 30. annor.* Felin. in *c. Illud cit. n. 1.* Covarruvias *cit. num. 4.* & Molina *l. cit. n. 14.*

Eâdem litis contestatione, & non solâ citatione, longissimi temporis 30. aut plurium annorum præscriptionem interrumpi, iidem volunt; quòd illa propter bonam fidem & excessum temporis Ordinariæ longi temporis præscriptionis, titulò munitæ, æquiparetur. Contrarium tamen, eamque solâ citatione vel denuntiatione interrumpi, cum aliis cesset Bruneman, in *l. Mora cit. num. 4.* per motus communi DD. sententiâ; quòd præscriptio odiosa, sive in odium negligentia introducta, cujusmodi 30. annorum est, *c. Vigilanti 5.* per solam citationem, vel litis denuntiationem interrumpatur, *l. Sicut 3. §. 1. Cum nostrissimi 7. ff. §. 5. C. de Præscript. 30. annor.*

Hâc, sive citatione & conventionem iurisdictionali solâ, etiam interrumpuntur præscriptiones improprie dictæ, quæ juxta dicta *n. 35.* fiunt ab eo, qui scit, se debere, & merito; quia, factâ conventionem, jam cessat taciturnitas & silentium, cui talis præscriptio innititur, *cit. Molina num. 15.* & Haunold. *n. 339.* Non desunt DD. qui præscriptiones quascunque hodie solâ libelli oblatione interrumpi, velint, apud Arnold. Rath. *de Usucap. cap. 5. n. 77.* de quo quidquid sit, in Bavaria nostra ad præscriptionum interruptionem lo-

nem solam citationem, ad instantiã partis emanatam, & reo infortunatam, sufficere, idem adertit n. 78. & desumitur ex *Lando recht Tit. 9. art. 1.*

Quodsi possessoris citatio, propter ejus absentiam, potentiam vel etiam impotentiam; quod v.g. infans aut furiosus sit, absque tutore vel curatore, fieri non possit, vel ad interrumpendam Civilem ejus possessionem adiri iudex & porrecto libello de usurpata rei possessione querela offerri: vel, si iudicis copia haberi nequeat, querela in scriptis exponi Episcopo: & si hoc etiam non liceat, eadem Notarii & hoc absente aliorum testium manu subscripta publicè proponi potest in loco, ubi possessor do-

micilium habet, *l. Ut perfectius cit. Molina disp. cit. n. 16. & Palao Tract. 31. disp. Unic. p. 22. §. 16. n. 5.*

Rectè tamen hic DD. duo notant. 160.
Primum est, litis contestatione & citatione interruptam præscriptionem non censi, si actor, qui possessori litem movit, postea succumbat, *citt. Molina n. 14. & Haunold. n. 340.* Alterum, præscriptionem legitimè inchoatam adversus Ecclesiam Romanam non interrumpi per sententiam excommunicationis, singulis annis feriã V. in Cena Domini promulgari solitam, in occupantes bona Ecclesiæ Romanæ; quia sententia illa spectat solos malæ, non bonæ fidei possessores, *citt. Covarruvias n. 5. & Molina n. 18.*



TITVLVS XXVII.

De Sententia & Re Judicata.



Llatis ab utraque parte probationibus exceptionibusque, concluditur in causa, & proceditur ad Sententiam definitivam: quæ instantiã; & si in rem iudicatam transeat, ipsi controversiæ principali in iudicium deductæ, finem imponit.

ARTICVLVS I. De Conclusionem in Causa.

SUMMARIUM.

1. *Ante sententiam sic conclusio in causa:*

2. *Quæ est renuntiatio ulteriorum allegationum:*
3. *His aliquando terminum statuit Iudex.*
4. *Conclusio excludit facti:*
5. *Non etiam Juris allegationes.*
6. *Post eam facti allegationes aliquando à iudice injunguntur:*
7. *Et admittuntur in Criminalibus.*
8. *Et Matrimonialibus causis.*
9. *Aliquando etiam in aliis:*
10. *In iudicio Summario & Appellationis:*
11. *Et quoties, eas admitti, iusta causa suadet.*

S s s 3

In judi-